

A

17-319



C. A. C. A. 0-2. 56-8.


~~S. G. S.~~

R 207



Quintius.

19-7-34



1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17

C.t. C A 0-2. 56-8


~~S 6~~

R 207



Quintius.

19-7-34




11858059



Eques Gas. Cäs. Arpinas delin.

Io. Fed. Greut. inc.

ROMÆ Apud Franciscū Corbellettum M DC XXVII



LIBRERIA  
POESES  
CAMBRIENSIS ET SOC. TRAI.

BIBLIOTECA  
UNIVERSITARIA  
DE  
GRANADA

WORKS OF THE LITERATURE OF CAMBRIA AND WALES



# POESIS HEROICA

HEDEBES.

## SACROSANCTA VATICANI TEMPLI PORTA

Populorum ingressui patefacta ab  
VRBANO VIII. PONT. MAX  
in publica dedicatione Secularis Aeni

M D C X X V,

## IDYLLIVM A FRANCISCO ALTERIO DICTVM CARMEN I.



EDIT E Romano scelerum  
contagia Regno,  
Si qua forum tenuistis adbuc. opta-  
ta recurrunt  
Secula, mite caput faustissima por-  
rigit aetas.

Sic iubet VRBANVS, qui caelo deuocat Annum,  
Ite procul Stygiae pestes; damnataque luctu  
Agmina perpetuo; sicutemque reposcite noctem  
Indecores animae, soboles inimica diei.

A

So!

Biblioteca Universitaria  
GRANADA

Sol oritur, quo non alium consurgere solem  
 Candidiore coma. & melioris origine lucis,  
 Vedit inexhausti reuolubilis ambitus aei,  
 Quina pererrato cum lustra referret Olympo.  
 Iam Caeli patuere fores: similique metallo  
 Obsita iamdudum, centumque obducta catenis,  
 Et frangi metuente rigens adamante fatiscit  
 Ianua terrarum lustralibus obuia sacris,  
 Fatalemque sinu grauido exclusura salutem.  
 Vnde nouum mundo fulsit iubar? emicat ingens  
 Lucis honor, sed causa latet; diuinus inaurat  
 Riuus agros: sed habet nitor inter sidera fontem,  
 Et caput occultat, dum flumine recreat orbem.  
 Vos aeterni ignes, oculique volubilis orae,  
 Excubiae Superum scriptusque exercitus auro,  
 Aurea progenies, & postuma semina solis:  
 Pandite, si quis amor, tantarum exordia rerum.  
 Et vidistis enim fetti proscenia Caeli,  
 Quae discreta procul mortalibus eripit ausis  
 Nobile sipparium, & caelestis carbasus aurae.  
 Dicite, cur sanatos sera liberat ardua postes,  
 Quae steterat firmata diu? cur publica Romae  
 Sacra restorescunt, annorumque orbe voluto,  
 Mitis, ab integro, Virtutum nascitur aetas?  
 Iam sol astriferi per inardescitia mundi  
 Prata, ter octonus efflauerat ore Decembres,  
 Autumnumque fugarat hyems, spatioque remenso,  
 Quinta renascentem properabat Olympias annum;  
 Tum faber aetherei motus immobilis ales,  
 Cui vaga praecipitis rota temporis annua curae,  
 Dat signum Superis; denso volat agmine pubes  
 Plaudendi studio, atque operi deuota futuro,  
 Pandit anhelantes laeta ad spectacula dextras;

Est in

Est in secreta Caeli regione latentis,  
 Trans anni metas, & limina solis Eoi,  
 Sublimis tholos, & paribus distincta trichoris  
 Atria, sidereum Triados testantia Numen:  
 Non opus humanum; Diuina decempeda finxit.  
 Nempe nec aurato moles operosa metallo,  
 Argentoue micat: fastidit humillima Caelum,  
 Et gemmas conferre pudet, quibus demula tellus  
 Iudice se, nimium plaudit sibi; nobile tectum  
 Materia meliore nitet; nec dicere possis  
 Quale decus: tantum, qui lucida moenia format,  
 Aut idem sol est, aut saxa simillima soli.  
 Aedibus in medijs, ipsoque in limine templi,  
 Qua primam late in faciem domus extima surgit,  
 Ingentes aditus, & postibus una superbis  
 Porta subest, mediamque intersecat ardua molem.  
 Ipsa tamen nulli patet obuia; robore duro  
 Clauditur, & foribus vallata rigentibus arcet  
 Ingressu populos, immortalique tenetur  
 Mole catenarum, aeternoque in ueste laborat.  
 Tunc solum inuerso reserantur cardine postes,  
 Cum quartam superans viceima ferbuit aetas;  
 Iamque redorditur noua secula mobile tempus,  
 Et se se sua per vestigia recreat aetas.  
 Hoc aditu, ut perhibent, haec lata per orbis Caeli,  
 Prodijt Omnipotens Diuinae mentis Imago,  
 Cum Patris e gremio, geniturae in viscera Matris,  
 Dulcis amor utriusque pio se carcere clausit,  
 Et Deus humanae subiit commercia vitae.  
 At domus interior, Virtutum Regia sedes  
 Dicitur: haec sanctis habitata jororibus, ardet  
 Luce quidem propria, sed non minus ore latentum  
 Splendet ab ingenuo, atq. eadem dat, & accipit ignem.

Huc igitur, dum fata monent, dum tempus agi rem,  
 Undique conueniunt Superi, plauduntque frequentes  
 Remigia alarum, seseque per alta curinant  
 Arua; recludendasque fores, & amabile limen,  
 Lataque concussum stiptant foras dixeris, Aulam  
 Numinis, & superas viduari ciuibus Urbes,  
 Usque adeo celebris Virtutum curia feruet.

Ecce autem sa pompa vehit; secedite mentes  
 Aethereae campo; viden, ut via candida lucis  
 Aestuat, & secto latescunt sidera caelo?  
 Hac iter est: Superum longo praedit agmine pubis,  
 Laeta ministeria, & vultu sua gaudia portans.  
 Agmen habet medium, magniq. una agminis instar,  
 Sole reuincta comas, inuecta curulibus astris,  
 Prima parens operum, genitrix Sapientia rerum,  
 Maxima Diuina soboles atque incola mentis,  
 Nata coeua Patri, sed nescia mobilis ortus;  
 Vena boni, nec fonte minor: seu prouius undat  
 Extra se, populosque beat; seu continet amnem  
 Intra animi ripam ipsa sui, seseque resorbet:  
 Vis eadem semper, nec sese copia maior,  
 Nec sese minor unda; sed ubere semper eodem  
 Detentis neque crescit aquis, neque deficit haustis.  
 Viuida maiestas, opulentia diues honorum  
 Aetherei Matrona chori, Diuina Virago,  
 Numen, & immensi vox Numinis: illa creatrix  
 Terrarum, Caelique potens, & temporis auctor  
 Immortalis adest, instauratura beatos  
 Annorum cursus, & inertibus aurea terris  
 Secula, praeterita eque obliuia publica noxae.  
 Nec mora: iam ventum caelestis ad ostia molis:  
 Iam superas stetit ante fores Regina curulis;  
 Iam velox sese urget opus, iam grandia pendent

Munera, sidere amque exspectant omnia dextram.  
 Quin etiam officijs ingentibus excita circum  
 Stat Superum pubes, finemque intenta moratur,  
 Et pennis premit, oblitusque coerget in uno  
 Pendula vim mentis volucrem, exultantiaq. implet  
 Corda metu, quallem parit exspectata voluptas.  
 Interea triplie, si lantes in cardine valvas,  
 Ingente sq. moras chalybum, atque aeterna patentis  
 Sepimenta aditus, Matrona veterrima rerum  
 Fatali incumbens virga qualit: aera fatiscunt  
 Illicet intemerata dia, constantior ictum  
 Stat contra, muralis apex; quem crebra laceſſunt  
 Fulmina tormentorum, & abenae verbera frontis.  
 At caeli rigor acer, & impenetrabile textum  
 Roboris aeterni, vix audit ſibila virgæ  
 Vibrantis ſeſe, & iam vulnera prima minantis:  
 Cum labat, emotoque recumbit Ianua dorſo  
 Sponte ſua, fragilique trahit compage ruinam.  
 Tantum virga potest, cui dat ſua aextera pondus.  
 Fit via, pandunturque aditus, patet clara reclusis  
 Limina iam foribus, iam poſſibas aer a negantur.  
 At, qua parte ſinum cedentia clauſtra relaxant,  
 Scena recedentis templi patet. illuc ingens  
 Exoritur plausus, vocisque reſultat imago  
 Gratantum terris, melioraque ſcola ferentum.  
 Tunc operum effectrix Sapientia luce refulſit,  
 Qua nunquam melius, placidoque ingentia vultu  
 Gaudia diſpensans, haec intonat: Ite frequentes  
 O Superi, mea turba, gemellaque Aetheris Urbem,  
 VRBANVMQ. Patrem votis cumulate futuris.  
 Sic Carlo ſua Roma placet. date foedera Pacis,  
 Ferte voluptatum nimbos, compejite noctem  
 Splendidiore die, pereat metus, exulet horror,

Diffugiant Erebi ciues : pater ipse malorum  
 Ante uolet , secumque in amabile deuehat agmen  
 Ad tristes thalamos , ubi regna domes tica luctus ,  
 Et consanguineae posuere cubilia pestes .  
 Vix ea , cum Caeli micat obsequiosa iuuentus  
 In partes operum , & vario se munere iactat .  
 Pars Roma aduehitur , sanctumq . Quiritibus Annū  
 Nunciat , VRBANOQ . Patri : pars aere summo  
 In uigilat , grandique manu turgentia circum  
 Nubila deterget , Caelumque immane serenat :  
 Pars tristes animas , & amantes turbida ventos  
 Carcere componit , tempestatumque cauernas  
 Obijce praemunit duro : pars oetera solem  
 Ornat , inassuetoque micantia tempora cultu ,  
 Sidereumque comam meliore illuminat auro .  
 Sunt qui quadrijuges , aurorae in vota , iugales  
 Expediant , leuiumque fugam , & momenta rotarum ,  
 Et currus , quos ipsa dedit Sapientia quondam  
 Astrorum Regi , cum magnum auriga Tonantem  
 In terras tulit , & rediuiuum in sidera vexit .  
 At Phoebum interea tempus monet : ille citatos  
 Exhortatus equos , curruque obnixus ab alto ,  
 Spargit in arua diem , cui nulla umbracula vultum ,  
 Nulla supercilium nubes tegit . aureus orbem  
 Ambit honor iubaris ; qualem sine labe colorem  
 Terra bibit , cum solem , inter cunabula mundi ,  
 Enixa est primo maris unda puerpera partu .  
 Fortunata dies ; neque lux fuit illa , sed insons  
 Lac tenetrae lucis : solemque ad lumina vitae  
 Productum è tenbris , & adhuc à lacte recentem  
 Fundere tium decuit , quem sugeret ipse , liquorem .  
 Nempe creatricis vix pulsus ab ubere lucis ,  
 In quacunque pedem Caeli regione locauit ,

Alba

Alba rudimenta, & lactentia signa reliquit.  
 Nunc etiam Caelo vestigia lactis inhaerent;  
 Semitaque ex illo candore notabilis ardet.  
 Non aliter fluit axe dies, Regina dierum  
 Candida, quae Sanctum radys felicibus Annum  
 Prima aperit, reuehitque optata piacula terris.  
 O quantum sperare licet, cum prospера Titan  
 Fecerit auguria, & fortunam nobilis aeui.  
 Luce colorarit, simul & pede principe nubes  
 Preſſerit infaustas, laetoque subegerit orbi.

Nec mora: iam subeunt eadem spectacula Rōmam,  
 Quae Caelum tenuere diu. Nam Rōma, vel ingens  
 Vestibulum Caeli est, vel ducta colonia Caelo;  
 Usque adeò similem se moribus ornat Olympo:  
 Aspicis, ut crebro populorum examine feruet  
 Vaticanus apex, qua tollit in aera molem  
 Tyburtina filex; ipsaque in mole cubantem  
 Educit tholon, & sublimibus inserit astris.  
 Hac qua parte sui Caelo vicinus haeret  
 Rōma, frequentatur, cum Caeli munera ducit.  
 Hūc omnis fluit ordo, premit, premiturque viro vir:  
 Et populi leuis vnda, repercutive ſequentem  
 Anteriore, fremit; nec ſe capit ipſa, ſed urget  
 Se magis, & ſimiſi ſemper curſu, atque recursu  
 Voluitur unde fluit, ſeſequere reciprocat aeftus.  
 Ecce autem ſolito late ſpectabilis aureo  
 Inuebitur gaudentum humeris animisq. Quiritum  
 Romanus Pater & Romanae Spiritus Vrbis  
 VRBANVS; prob quale decus, quantumq. ſerenae  
 Maiestatis habet? ſeſe ipſe nitentior ardet,  
 Et praeter ſolitum diuinior: emicat olli  
 Tantus in ore DEVIS, cui ſceptra vicaria geſtat.  
 Denique ſi nescis, quād grandia munera verſet

Quidue animo ducat curarum ; consule vultum  
 Principis ; & dices, Nihil est mortale, quod optat.  
 Talis adest mundi Pater, & quocunque curuli  
 Ingreditur solio, tum genua labantia terrae  
 Ponit adorantum populus ; sed lumina tollit  
 In Caelum vocesque pias, & fausta precatur  
 Omina, deque suis VRBANO fabricat annos .  
 At Pater, immensi contra sietit ostia templi ,  
 Vestibulum ante ipsum , qua Porticus aurea surgit,  
 Appendix pretiosa domus, & digna theatro ,  
 Cui facit ingentes aditus , & limina format :  
 Par opus auctori, testataque Regia Paulum ,  
 Burghesij simulacrum animi, cui nobile nomen  
 Seruat ; at VRBANO seruit patriosque Dracones ,  
 Gentilesque Aquilas ( sic Paulus ab aethere iussit )  
 Subdidit vltro Apibus . nam gemmea debet utriusque  
 Porticus ; & Pauli est, quod Caelum proxima tangit.  
 Quod tamen inclinat propria ad confinia Caelum ,  
 Quod superas dispensat opes , quod aperta recludit  
 Limina Virtutum, vitaque aeraria seruat ;  
 Hoc opus VRBANI : nec , utrum sit denique maius ,  
 Quaerere Roma diu, vel Paulo iudice, possit .  
 Scilicet hic lustrale bonum, deuota saluti  
 Porta, rudimentum superi terrestre laboris ,  
 Stat Latio reseranda Patri ; quae tempore longo  
 Clausa, per & multos nulli superabilis annos :  
 Nunc Superum admonitu, moderantis & infima caeli  
 Se dicat VRBANO, tantaque patescere dextra  
 Poscit, & ambit adhuc . sic prouida fata tulerunt ,  
 Ut cum caelestes aditus Sapientia pandit ,  
 Explicet in terris, Sapiens gemina ostia Princeps .  
 Nec mora : praefatus Diuos, Diuumque Parentem ,  
 Ipse hominum Pater, humano sed lumine maior

Con-

Conflitit, accingitque operi venerabile pectus,  
 Et robur, quo Caelū aperit, quo claudit Auernum.  
 Iamque adeò dextram tudes olli argenteus armat,  
 Iam manus urget opus, iam fulminat. excipe tellus  
 Omina, iam tonuit Caeli de parte serena.  
 Vix etenim primum argenti vibratilis ictum  
 Excipit, ex templo velut ariete pulsa trabali  
 Porta labat, subitoque obstacula verbere cedunt  
 Sponte sua; patet ingressu penetrabile limen,  
 Vnde aditus certo se limite findit, & astris  
 Terminat, incurritque patentis in ostia Caeli  
 Diuina reserata manu; iamque omne fausto,  
 Ianua terrarum, Caelo mortalia iungit,  
 Humanisque plagiis Superum penetralia pandit.  
 Insequitur clamor lacrymatum, & multa gementum  
 Nescio qua mentis dulcedine; cedit amaror  
 Alacrymis, nec abest dolor; at confusa dolori  
 Gaudia sunt; testes, hic criminis, illa salutis.  
 Audijt è Caeli secreto cardine plausum  
 Aurea Virtutum soboles, & conscientia facti  
 Caelestes commutat opes terrestribus oris:  
 Pro Caelo Romam, pro templo diuite, ductam  
 Non imitabilibus terrarum molibus aedem  
 Incolit: hic foribus se prima patentibus infert  
 Augurium fatale boni; praedit ipsa sequentum  
 Agminibus populorum, atque omne lumina compleat,  
 Et calcanda viris post se vestigia signat.  
 Nunc Vaticanam felix habet incola sedem.  
 Nec tamen à Caelo se credit abesse paterno:  
 Usque adeò cum Sole suo sua sidera praefert  
 Roma, & ubi VRBANVS Sol est, ibi Regia Caeli est.

IDYTHON CARMEN I  
**GRATVLATIO**  
**FERDINANDO CAESARI**  
**DICTA A**  
**FERDINANDO**  
**CAESARINI DVCIS**  
**FRATRE**  
**C A R M E N I I.**



*QVI sidereo moderaris secula  
gyro.  
Aliger, ingentemque moues inge-  
tior orbem :  
Parce habiles vrgere rotas, molem-  
que sequacem*

*Temporis, ah' ne tam praeceps ruat, imprime clavo.  
Aspice, purpurei tulit indulgentia solis,  
Optatos sine nube dies : iam publica mundi  
Gaudia, terrarumque preces, & vota Quiritum  
Sortitus habuere suos : sedet aureus alto  
In solio Ferdinandus ; orinemque verendum  
ronde tegit, cupidoque potentior imperat orbi.  
stis io Superi ; vobis mortalia curae ;  
Nec fatis agimur ; sed conscientia Numina nosiri  
In Caelo meditantur, inexhaustaque gubernant  
Mente viros ; certa stant omnia lege Tonantis.  
Haec ego, syderei siquid cortina theatri,  
Posse dabit, pateatque oculis penetrabile Caelum,  
Aurea magnarum pandam spectacula rerum ;  
Quae multa & videre videndaque multa dedere*

Ali-

Aligeri . quāmuis ea nos miracula tangant ,  
Vix tamen ē Caelo leuis hūc allabitur aura .

Austriadum Caesar supremus in agmine Regum ,  
Cesserat imperijs fati ; cū tempora noctus  
Aptia dolo , fraudis mala tentamenta futurae  
Agreditur Genius : non dissimilanda furentum  
Dirarum joboles , Ottomani sanguinis altrix ;  
Deformis Genius , gentique simillimus idem ,  
Cui fauet . Hic quondam veniens ad lumenis oras ,  
Odrysy nomen Ottomani accepit alendum  
Austriacos contra Proceres . nām temporis ortu  
Uno eodemque , tulit patriū domus & traque Regnum :  
Alterā nascentis , morientis & alterā solis .  
Hic fuit , antiquum qui sub fera transtulit Argos  
Iura Tyrannorum : qui quondam habitata Tonanti  
Regna Palaestina que domos , veteremque Syenem ,  
Atque Asiae fines , atque arua Libystidis orae  
Inuasit ferus : ille suis dedit , ille suorum  
Helleponiacum succumbere Bosphoron armis ,  
Perturbator opum Genius . cui mille nocendi  
Nomina , mille artes : Ottomanae ad cornua Lunae  
Factus , & ipse gerens in vertice cornua Lunae :  
Nunc , ne Threicio domus inuidiosa Tyranno  
Magna domus , veterum sceptro potiatur Auorum :  
Aemulus Austriadum Genius quas extudit artes  
Pectore sanguineo ? quas non ferus arsit in iras ?  
Ille & Danubij ripas penetrauit , ubi ingens  
Cluditur Hercynio fruiturque Bohemia saltu ;  
Accenditque animos flammis , quibus ipsa locorum  
Ardet hyems . ille , & Morauum fidissima quondam  
Pectora , nunc acies , & non sua bella coēgit  
Ducere , palantesque Sylesia per iuga gentes  
Irasci docuit , Regemque laceſſere pugna .

Nec

Nec tamen hoc satiata rogo genialis Enyo est.  
 Pascitur haud animis solum popularibus ardor.  
**P**rima Senatorum capita, & delecta potentum  
 Corda Ducum saeuo aggreditur torquere flagello.  
 Nimirum toto misit Germania Rheno  
**M**agnanimos Heroas, & alto a sanguine Regum  
 Lecturos, Procerum multis è millibus, unum,  
 Qui regat imperio, nutuque coérceat orbem.  
**I**amque Hellenopolim magno tenuere Senatu,  
 Quam tacito velox allabitur agmine Maenus,  
 Et medium secat, & medijs interfuit undis,  
 Atque una de stirpe, duas disternat urbes.  
**C**onsedere Duces; & iam consulta ferebant,  
 Versabantque grauem votis fatalibus urnam  
 Assensu vario; nam quae sententia mentem  
 Inclinaret adhuc; non omnibus una sedebat.  
**S**cilicet huc etiam caput implacabile condit  
 Feralis Furia, extremum confessa laborem.  
 Conaturque venenatas aspergere flamas,  
 Nequid inexpertum linquat: quibus illa veretur  
 Extingui ut possit Fidei inviolabile pignus  
 Mentibus in magnis: sed quid tentasse nocebit?  
 Sentit ab arcano propiora pericula Caelo  
**M**agnanimus Leopoldus: inardecitque vidento  
 Et Furiae taedas, & proxima damna suorum.  
**H**ic quondam Austriacae Dux inuestissimus Aulae  
 Iura dabat, dum membra animus generosa regebat.  
 At, postquam supero transcripsit nomina Regno,  
 In terris sua templa tenet: votisque vocatus,  
 Mitis adest, auditque preces: & dictus ad aras  
 Indicat, Austriacam terris, Caeloque potentem  
 Imperitare domum, gemino quae sufficit orbi.  
 Forte frequentabant Superi conclave reductum

Secreta in Caeli regione : ubi cogitur ingens  
 Concilium , magnisque hominum de rebus agebant .  
 Hic alto in solio diuina Pronoea paternum  
 Temperat imperium : summoque aequaeua Tonanti  
 Prouidet , & longè quae sunt ventura resoluit .  
 At circum auratis composta sedilibus errat  
 Aligerum manus Heroum , quibus arbitra mundi  
 Iura , potestatemque dedit iustissimus Auctor .  
 Huc sese Leopoldus agit : sanctumque Senatum  
 Rite colit , solioque innixum Numen adorat ;  
 Atque has flammato mittit de pectore voces .  
 O Superum Regina potens , utriusque theatri  
 Diua gubernatrix , supremae filia mentis ,  
 Prouida mens , aeuique parens praesaga futuri ,  
 Frange caput Stygię praedonis , & opprime fraudem  
 Arctois latè Regnis impunè vagantem .  
 Cernis , ut Austriadum trabeata potentia nutat  
 Germanos inter populos ; nec , ut antè solebat ,  
 Ad Regnum votisque humerisque inuecta vocatur ,  
 Vnius inuidia , & fatalis Erinnyos astu ?  
 Quid mea progenies tantum potuisse mereri  
 Aut meruit , Stygiae succumbat ut artibus aulae ?  
 An quia perfidia populiatrix ardua , Regno  
 Cogit ab Austriae portenta fas effere , si quae  
 Vana supersticio , sacrorumque impius error  
 Fudit abortiuo , terrarum ad lumina , partu ?  
 Non equidem in nostrum genus indulgentior aequo  
 Haec facio tibi vota ; animi penetralia testor ,  
 Non ita me tetigit sanguis meus , aurea postquam  
 Sidera sortitus , cum sanguine membra reliqui ;  
 Vt titulos illi , fragilemque precarer honorem .  
 Me Pietas tangit , pro Religione precantem  
 Diua audis : Fidei me cura potissima cogit

Dice-

Dicere, & Austriacos ad sceptra vocare Nepotes,  
 Quos Regno quondam Pietas dedit, illa reposcit  
 Ad Regnum: munusque suum generosa tuerit.  
 Non ego praeteriti reuocabo exordia facti:  
 Cum Rodulphus agens equites in bella ferarum,  
 Pronus adorauit, per deuia rura, latentem  
 Diuina sub fruge DEV M; quem forte Sacerdos  
 Portabat, suprema piae solatia morti.  
 Vix oculis hausit niuea sub imagine N umen,  
 Cum procumbit humi supplex, dorsoque relicto  
 Acris equi Mystam caelestia sacra gerentem  
 Imponit, chlamydisque iniectu submouet imbri:  
 Ipse triumphantem stipator Regius ambit,  
 Ipse subit pedes, & Dominum comitatur euntem;  
 Cui tu, magna Parens, tanto pro munere grates  
 Annueras contraria decus immutabile Regni,  
 Imperiumque orbis generi sine fine futurum.  
 Tempore iam ex illo Romani Caesaris omen  
 Rodulphus Caelo tulit auspice: primus Auorum,  
 Qui Regno Austriacum nomen dedit: inde minores  
 Agmen agunt, Regumque ingens sese explicat ordo  
 Aureus, Augustos quibus alta ab origine fasces  
 Seruat adhuc Pietas; Othomana sed obstat Erinnys  
 Scilicet, & Caelo terrisque proterua minatur.  
 Quare age, si merui, si non indebita posco;  
 Tartareaas infringeminas, Asiaeque Tyranno  
 Ne liceat superis errare licentiū oris;  
 Sit fraudum satis, inferna se verset in aula,  
 Si lubet, & proprias in sese exerceat iras.

Risit ad haec facili Regina veterrima vultu;  
 Orantemque oculis placans, Absiste precari  
 Plurima, dixit; habes iamiam Leopolde, quod optas  
 Immō, quod optanti nunquam promittere posses

Tu

Tu tibi; nunc adeò fraudum & terroris abundè est :  
 Quandoquidem fatis mora nulla ruentibus obstat.  
 Sed, si tantus amor rerum cognoscere causas ;  
 Nunc ades, & mecum fortunam addisce tuorum.  
 Vix ea : cùm folio sese Matrona superbo  
 Attollit, superatque gradus; dextraque prehensum  
 Dicit fronte pari Leopoldum & passibus aequis.  
 Ad secreta recedentis conclauia Caeli :  
 Quà tollit fatale caput crystallina turris,  
 Perspicuoque sinu rerum spectacula pandit .  
 Fusilis hic moles volucrum compage rotarum,  
 Tormentumque volubilibus circum orbibus actum  
 Surgit, & in liquido patet aspectabile vitro .  
 Olli talis ineft facies, qualem aenea praeferunt  
 Machina, quae summis è turribus admonet urbes  
 Temporis, & pulsu fugitiuas diuidit horas .  
 Nil tamen humanum, nihil hic mortale resultat :  
 Sunt chalybes, sunt aera procul, neuoluble Caelum  
 Dixeris, usque adeò gemmata toremata lucent .  
 Pendet inaequali capitum libramine funis  
 Aureus, & grandes dicit pro pondere gemmas  
 Molem infra, semperque idem surgitque caditque ,  
 Et metitur onus, motumque moramque gubernat.  
 Nam crebris agilem spiris amplectitur axem ;  
 Immortalem axem, solidoque adamante rigentem :  
 Non adeò tamen indomitum, quin textilis auri  
 Sentiat amplexus : ad blandimenta mouetur  
 Ilicet, & similem pretiosis dentibus orbem  
 Corripit ; hic alios versat, voluuntque voluti  
 Mordicus, & totam rapiunt vertigine molam .  
 At placide errantum facit aequamenta rotarum  
 Hinc atque inde pari trepidans examine libra;  
 Ne se praecipiti versatile pondus agat vi,

Illa cauet, praebetque sui discrimina motus.  
 Haec intus: foris est etiam sua gratia fronti.  
 Nam stylus hic sese, gemmataque lingula profert,  
 Purpureusque index, qui, moli annexus, eodem  
 Incedit cum mole gradu, & miracula signat,  
 Qualia non ulli fas est agnoscere Diuum.  
 Scilicet ingentis frons est adamantina turris:  
 Fronto super, qua circumagit se gemmeus index,  
 Docta manus solido formas inscripsit auro,  
 Arcanosque characteres, & caeca notarum  
 Argumenta; quibus se lingula monstrat in orbem  
 Mobilis, & stabili premit aurea signa rotatu.  
 Obstupuit visu Leopoldus, & anxius haeret;  
 Oblitusque sui tacet, oblitusque suorum:  
 Solum ea defixos tenet ad spectacula vultus.  
 Tum vero ductrix vocem Matrona resoluit.  
 Et, quid inaccessas oculis animoque figuras  
 Contemplator, ait, speras euoluere sensu?  
 Obscuros apices, & inenarrabile textum  
 Molis adire nefas, nisi me duce: signa latentum  
 Abdita verborum, me solum interprete, disces.  
 Nunc age, quandoquidem te plurimus excitat ardor.  
 Quidquid id est, animum paucis aduerte, docebo.  
 Hanc, quae sublimi se tollit pegmate, molem  
 Ipsa ego, nascentum primaeua ab origine rerum,  
 Composui, Caelique remota in parte locauit,  
 Tempus ut assereret, moderatrix norma futuri.  
 Scilicet errantem solis qui temperat orbem  
 Aliger, aeternumque rotat iubar; ignea motus  
 Libramenta sui, cursumque volubilis auri  
 Pondere ab hoc discit; solique aut laxat habenas,  
 Aut premit, ut solis monet haec mensura volantis.  
 Ignatos apices, & inobseruata legenti

Signa

Signa vides sparsasque notas? prob quantus in illis  
 Sensus inest, quanquam sine sensu errare videntur?  
 Hic ego, si nescis, mores atque ipsa potentum  
 Nomina descripsi Heroum; quos aequus amauit  
 Omnipotens, numeroque virum secreuit ab omni,  
 Ut populos ditione regant. Nam mobilis index  
 Circuit, & semper currendo perficit orbem.  
 Nec prius absit cursu: quam ritè mouendus  
 Ad Regnum subeat quisquam, cui sidera seruant  
 Imperium; tum cessat apex, stabilisque tenet se  
 Lingula venturi monitrix; atque indice gemma  
 Stat super inscriptum regali nomen in auro,  
 Designaque Caput populis fatale regendis.  
 Nondum finierat Virgo, cum prouida moles  
 Dat signum: inde quies, & inexspectata rotarum  
 Segnities oritur: vestigia comprimit index  
 Errabunda prius; nomenque ex omnibus unum  
 Delibat radio. tum subdidit Arbitra, Cernis,  
 Ut faueat Deus? ecce Deus, Lepolde; quid ultra  
 Spem trahis? en votis Caelum studet; accipe sortem  
 Diue propinquantem, vestrumque in foedus ituram.  
 Aspicis hoc ingens, quod in umbrat lingula nomen  
 Desuper incumbens? o nomen amabile Caelo,  
 O terris exspectatum: compescit timorem,  
 Ferdinandus hic est, Veterum spes una Parentum:  
 Ferdinandus habet Regni decus, ille vocatur  
 Ad sceptrum, Imperij fortunatissimus heres.  
 O Pietas, o sancta Fides! quis amantior aequi?  
 Quis Paci melior? quis fortunatior armis?  
 Non illum geniale malum, non ducta profundo  
 Eumenidum manus, & minitantibus aspera taedis  
 Agmina; non hominum furor imperiosus ab alto  
 Deturbet Regni solio; cui lactea preffit


Vbera Relligio, nascentem ad lumina vitae  
 Accepit gremio Pietas, mox arbitra morum  
 Instituit Virtus; quibus ille altricibus, auras  
 Caelestes auras, mistas mortalibus hausit.  
 Sed quid ego haec memoro? studia in contraria tēpus  
 In terris teritur; venturae nescia Sortis  
 Mens hominum, fatis pugnantia fata rependit.  
 Nunc age, secedant irae; fatis usque malorum est;  
 Hac Othomana tenus populos agitarit Enyo:  
 Conspirent animi, cum Caelo sentiat orbis,  
 Imperet is, fati quem gemmea lingua reposcit.  
 Haec ait. augustoque trahens de vertice partem  
 Solis, inexhausta qui tempora luce coronat;  
 Fulminat è Superis. it missile lumen ad urbem,  
 Magnus ubi tenuit conclauia longa Senatus,  
 Qui Regem legat arbitrys; huc penniger ignis  
 Aduolat, & summis Heroibus intima sensim  
 Corda subit, penetratque animos, & pectora versat.  
 Nec mora, concordes in publica commoda, subdunt  
 Heroes capita alta Deo, parentque iubenti,  
 Fatorumque moram subitis affensibus implet;  
 Et Ferdinandum generosa voce salutant,  
 Ingeminant Ferdinandum; celoque locatum  
 In solio, Summi fortuna Principis augent,  
 Demittuntque animos, & nobile nomen adorant.

Salve, Magnorum Rex Augustissime Regum,  
 Terrarum communis amor; cui sidera frontem  
 Ante coronarunt, quam textile cinxerit aurum.  
 Ingredere o votis, hominumque assuesce vocari  
 Iam nunc auspicys; pigra qui tibi regna, tuisque  
 Sera querebantur succedere praemia factis.  
 Testor inassuetos liquida dulcedine plausus,  
 Et desiderijs popularibus edita passim

Gaudia ; terrestres certant caelestibus orae ,  
 Vtira magis tibi Regna vacent, arimique trophyaeum  
 Ingenio meliore ferant, pudet esse minorem  
 Hoc uno terram, si te vebat impare pompa .  
 Nulla tuis regio titulis caret, omnibus idem  
 Diceris; Occidus tibi Sol, tibi plaudit Eous :  
 Nec frustra tibi plaudit: habet quo plaudere possit.  
 Nam tua nobilitas quo non viget insita Regno ?  
 Germine magnanimo totum complectetis orbem ;  
 Et cum Sole geris diuisum munus; uterque  
 Regna maritatis; tu sanguine, lumine Titan;  
 Regibus ò genita, ò Reges genitura propago.  
 Et quisquam placido testari gaudia, vultu  
 Distulerit ? viden ? Herorum te maximus ordo ,  
 Te populi minor aura vebit: tibi pectoris aulam  
 Explicat, inque animis pompa meliore triumphas .

Me quoque tagit bonus, Caesar, tuus; & mibi parte  
 Sumo libens, inter communia gaudia; quanquam  
 Non adsum nouus obsequio; nec honoribus hospes  
 Vsque adeò sum, Magne, tuis: sic nominis omen ,  
 Sic volucrum Regina monet; quae, munere vestro ,  
 Explicuit patrio nobis in stemmate pennas ,  
 Insertumque animo signum gentile figurat .  
 Sed monuit meus ante alios Julianus, auitum  
 Nomen: honor nostrae, si qua est ea gloria, Gentis ,  
 Tempora Romano quondam spectabilis ostro .  
 Ille tuo, Caesar, nimium sudauit in aruo :  
 Siue rebellantes cùm strenuus iuit in hostes ,  
 Arctoasque niues, fortique habitata Bohemo  
 Regna frequentauit; nascentis ut ora Chelydri  
 Frangeret, Hussitaeque timenda exordia flammæ ,  
 Et malè crescentes in fonte retunderet ignes :  
 Seu coniuratos Othomana reduxit in arma

Tannonas, iniusta que abrupit foedera pacis.  
 Et, licet Odrysias in se conuerteret iras;  
 Non tamen abstinuit, vitaque animaeque pepercit.  
 Illic Threicio non debita praeda Tyranno,  
 Heu quas exuuias su premo in funere liquit  
*Hostibus!* At vitam pro Religione cadentem,  
 Purpureus quamuis in morte, dicauit Olympo.  
 Nunc etiam è Superis tibi, Ferdinand, laborat,  
 Credo equidem, campoque bonus desudat eodem.  
 Ille iterum ardentem flammis Borealibus Albin  
 Artibus è Caelo melioribus opprimet; ille  
 Intrepidos Morauos, & amantes arma Bohemos  
 Dulcia tranquillae reuocabit ad otia vitae.  
 Sic ego, sic omnes nostra de Gente couemus.



IN CLAROMONTANVM  
COLLEGIVM  
Patribus Soc. IESV Parisijs restitutum  
A L V D O V I C O XIII  
GALLIARVM REGE  
SAPIENTIAE EVCHARISTICICON  
Dictum ab uno è Patribus Soc. IESV

CARMEN III.

**N**ymphae, Castalides Nymphae,  
quibus Aonis ora,  
Et famulatrices leuis vngula suscitat undas;  
Quandoquidem vestris noua nascitur Aurea terris  
Aetas; o agite, & magnis Heroibus aequo  
Rumpite, nam decet, importuna silentia cantu.  
Cernitis, ut facili vos Gallia voce salutat,  
Gallia, Magnorum Nutrix foriissima Regum,  
Ipsa cothurnatae Regina potentior aulae,  
Et mundi Regina sui; Vos semper amoeni  
Phocidos ex oris, ad nobile Pyrenaeum,  
Et lauru è viridi, vocat ad sua Lilia vietrix.  
Ite agite, o reduces augusta ad limina Musae;  
Qua celso in solio, patrioque verendus in ostro,  
Eminet ingenuos inter Ludouicus Ephebos,  
Iuratosque Duces; cum magno munere maior  
Sceptra gerit, iustoque pius dat iura Senatu,



Multum animo, multum referens in fronte Parente,  
 Factis aequat Aenos, virtutibus anteit annos,  
 Herculeisque humeris Gallum suppleuit Atlantem,  
 Nuper Aquitani cestantem a pondere mundi.  
 Sed quis tautus amor Ludouici in pectore crescit,  
 Ut Loyoleae iam dudum Palladi clausum  
 Lutetia in magna reseret dotale Lyceum?  
 Dicam equidem, longa repetens ab origine causam,  
 Et sua magnanimis reuocabo exordia factis.  
 Regius ut primum Iuuenis penetrabile limen  
 Exyt aetatis, quam nescia viuere vita,  
 Atque ignara sui puerilibus educat annis,  
 Mutauitque idem melioris origine lucis  
 Prima rudimenta, incertique crepuscula sensus;  
 Obtulit huic sese qualis sine nube videri,  
 Et quam celsa solet veri Sapientia mater,  
 Numinis interpres, rerum castissima index,  
 Praeteriti custos aei, praevisa futuri:  
 Obtulit, aspectusque oculis mortalibus impar  
 Attonitum visu Iuuenem strauisset, & auri  
 Aura vel immeritae damnasset lumina nocti,  
 Vel tenebris vitam; nisi tum Sapientia vultus  
 Immortale iubar radyque plicatile lumen  
 Extinxet, iamque humanis obtutibus aequa,  
 Aequa oculis fieret, nostra eque simillima formae.  
 Tum vero ante oculos Iuueni stetit, altaque collo  
 Brachia dispensans, amplexibus oscula mille  
 Miscuit, & Salve rerum spes una mearum  
 Magne Puer, dixit, magna eque propaginis heres.  
 Obstupuit visu Ludouicus, & aurea frontis  
 Sidera continuit defixo immobilis ore:  
 Nes voces alias ancillatura voluptas  
 Suggescit, nisi quas oculorum labra tuendo

Fortè dabant, lacrymisque loquacia sensa ferebant:  
 Nām sua sunt oculis, lacrymis sua sunt quoq; verba.  
 Olli subrisit placido mitissima vultu  
 Diua, nec erubuit longo sermone morari  
 Quas furabatur Superum congressibus horas.  
 Usque adeò Superis Ludouicum credidit aequum.  
 Pone metum meus, inquit, amor; teque indole dignum  
 Finge tua, factisque potentibus excute mentem.  
 Illa ego sum humanae nutrix Sapientia mentis,  
 Filia Diuinae, magno sata Patre, priusquam  
 Fundamenta noui iaceret pendentia mundi.  
 Inter Aquitanas quanquam mibi commoda gentes,  
 Nunc etiam est domus, hospitioque recepta fidelis,  
 Lutetiam ante alias colui placabilis urbes;  
 Me tamen imperium Martis, strepitusque sonantis  
 Militiae, geniusque Patris, quem viuida virtus,  
 Etratio bellorum, & praepetis impetus aeuī  
 Impulit in chalybes, & amantia sanguinis arma,  
 Nolentemque sua rapuit vertigine tempus;  
 Altera cui tenuit sceptrum manus, altera ferrum;  
 Haec, inquam, studia, & votis contraria nostris  
 Vota retardarunt, ne toto libera Regno  
 Efferrem caput, atque omni dominarer in aula.  
 Tu mibi conditio regnandi, tu bonus es  
 Auctor amicitiae, necum partire labores  
 Et sceptri decus, & solio fedeamus eodem.  
 Sed tibi si quis amor venientia noscere fata,  
 Et mens aqua vacat; paucis, aduerte, docebo.

Aurea postquam aetas cessuro degener Auro  
 Mutauit sterili felicia tempora Ferro;  
 Ferrea progenies, & ahena rigere iuuentus  
 Coepit, inexpletumque domare furoribus orbem.  
 Tunc scelerum facies, & inexorabile vulgus

Eumenidum, trepidique metus umbræque silentium,  
 Tartareaeque acies, & nomina mille malorum,  
 Vna eademque satus vitiorum exercitus alio,  
 Virtutum sobolem crudeles linquere terras  
 Et patrias iterum remeare coegerit ad oras.  
 Me quoque fors eadē, & communia damna vocabat;  
 In Superos, fateor; sed iniqua mente carebam  
 Terrarum officio; quid enim sine Numine vivat  
 Terra meo, cui nulla ferat Sapientia vitam?  
 Tunc equidem excussi quantum mihi suppetit artis,  
 Quantum animi, quantum secreto in pectore mentis  
 Consilijque latet, tunc memet in omnia verti  
 Tentamenta operum, memet sapientior ipsa;  
 Ut, quoniam nomenque meum Numenque verendum  
 Ad Superum loca (sic Superi voluistis) agebam;  
 Non tamen aeternum ventura in secula ferrem  
 Exilium, semperque recentibus acta procellis,  
 Pellerer humano nunquam redditura theatro;  
 Sed mecum Omnipotens hanc me spem ferre iuberet,  
 Affore non longum lapsuri temporis aeum,  
 Quo priscum tellus inarata rediret in Aurum,  
 Atque instauratis iterum meliore metallo  
 Fortunata meis quandoque renascerer oris.  
 Sic ego maerentem spe consolabar amorem,  
 Atque erat una salus, non desperare salutem.  
 Ergo operi accingor. Sed, ut ire per omnia longum est,  
 Accipe, Magne Puer, quae te miracula tangunt.  
 Nondum supremus mutabilis angulus orbis  
 Iuerat in Chalybes: domino nam cetera Ferro  
 Cum seruiret humus; vix ora latentis Eoi,  
 Qua primo exoriens Sol lumine conserit agros,  
 Pallescebat adhuc splendore supersitis Auri.  
 Has ego se posui rutilas Orientis arenas,

Quae mihi certa forent venturae semina messis ;  
 Et mecum auexi , dum sidera nota subirem.  
 Tres illis radios lucis, quam tempora circum  
 Semper ago: tres aspersi genitabilis aurae,  
 Quam trahit omnipotens spirantis anhelitus oris:  
 Aureaque abieci mutatis pondera terris ,  
 Artis opus mirae, medicataque Numinе multo  
 Semina, magnanimis factura Nepotibus umbram .  
 Quae si forte pigris olim voluentibus annis ,  
 Auratae in segetis culmos matura virerent ;  
 Aurea tunc equidem sperarem tempora, Ferro  
 Ezule, tunc terras, & littora cara tenerem .  
 Decidit Aurum ingens, vectumque curulibus aur  
 Sedit humo, quam Sequanici tenuere Coloni ,  
 Borbonique Duces, quorum tu maximus heres :  
 Tunc informis erat regio, & sine nomine tellus ;  
 Nunc Regnatrices centum complectitur Vrbes ,  
 Omnes sideribus geminas, heroidas omnes .  
 Hinc tibi , si nescis, inscripti nomina Regum  
 Nascentur flores; hoc Aurea semine surgunt  
 Lilia, quae fabricata diu, gremioque profundo  
 Fota laboratae Cereris, nunc nobile Caelo  
 Attollunt, caput, ut Virtutum secula reddant,  
 Et Generi vestro gentilia signa colorent .  
 Ergo age, te res ipsa vocat, iustissime Princeps ,  
 Muneris hoc quantum est, magnum tetigisse Parentē  
 Debuerat, natum magnis Heroa : sed illum  
 Detrectantem animo, quae non terat otia bellum ,  
 Martis amor studiumq. inimica vocauit ad arma .  
 Nouerit Henricus sua ducere sub iuga gentes ,  
 Et Regnum sibi magnanimo sub sternere ferro :  
 Tu partes agitare meas, Ludouice, memento ;  
 Hae tibi sint artes, toto liberrima Regno

Trade-

Tradere iura mibi, meque in tua ducere tec̄ta,  
 Et placidae pacis committere nomina terris.  
 Sic ait, & postquam terrarum nobilis hospes  
 Oscula libando sapientem pectoris auram  
 Pronius inspirauit, inanes cessit in auras.  
 At Puer, & lacrymis abeuntem & voce sequutus,  
 Ingemit, atque iterum reddi spectacula vellet;  
 Certè eadem sibi nescio quae personnia fingit,  
 Et quae non videt, illa tamen putat ora videri.  
 Sed non ex animo species ea candida fugit,  
 Fugit ut ex oculis; sedet, aeternumque sedebit  
 Pectoris in gremio, sensuque reposta profundo.  
 Tempore nam ex illo liquidissima sensit amoris  
 Semina, & ardentis in viscera serpere flamas;  
 Quas semel accedit, semperque euentilat aura  
 Diua leui, sensimque annis crescentibus auget:  
 Donec anhelantes angusto in pectore vires  
 Se maior, auctuque nouo violentior, ignis  
 Indignata moras incendia denique rupit  
 Lam matura operi, magnis & idonea factis.  
 Vix Atlanteos animos, & nobile collum  
 Supposuit Regno Ludouicus, autaque frontem  
 Induit in serra, & sceptrum inuictabile gessit;  
 Cum tenerae secum reputans primordia vitae,  
 Sidereoisque modos Diuae hortatricis, & ora,  
 Ora sub arcani penetralibus abdita cordis;  
 Nescio quid sensit sibi mentem inuadere magnum,  
 Et praeter solitum flagrare medullitus ignes,  
 Impellique sequax facta ad pulcherrima pētus.  
 Nec tacuit. Salve, o primis mibi cognita ab annis  
 Dia salutatrix; agnoscō Numinis omen,  
 Agnoscō vultum, & sanctae vestigia vocis.  
 Nec tua me species, Sapientia, fallit amantem.

Tan-

Tantum, Diua, mone : tuus, explorare quid optes,  
 Sit labor, en sequor, & quocunque vocaueris adsum.  
 Haec ait, & curas animum partitur in omnes,  
 Fixus humi tacitos oculos, secumque moratur,  
 Siqua sibi placido sententia pectore surgat.  
 Est in Sequanicae turritis moenibus orae  
 Lutetia, ut Regum sedes, & Regia Regni;  
 Sic Sophiae hospitium, & turbae sapientis asylum.  
 Hoc olim in campo doctas exercuit artes  
 Loyolaea cohors, cui nomina fecit I E S V S,  
 Cura Ducum, quibus imperiū nomenque propinquō  
 Finitur Caelo; tua sed iustissima cura,  
 Ante alios, Ludouice, tuisque obnoxia votis.  
 Hanc belli fatum, & populator abegerat imber  
 Finibus è patrijs : sed, tempestate serenum  
 Excipiente diem; Galli Sol aureus Orbis  
 Henricus, patrijs iterūm confidere tectis  
 Iussit, & auspicijs melioribus addere nomen.  
 Non tamen interclusa, diuque prementia vocem  
 Atria, Palladijque forensia iura theatri  
 Accesu patuere virum; sed inhorruit aula  
 Musarum, vox ipsa suum magis inde sequuta est  
 Exilium, & duri tenuere silentia postes.  
 Cetera dum passim feruebat Apolline multo  
 Lutetia, hos aditus byemantiaque arua tegebat  
 Horrida segnities, & amabant otia Musae.  
 Nam campos, ubi vixit honor, situs asper habebat,  
 Forniceque in magno spirantia saxa veternum,  
 Et viridi stabant aspersa sedilia musco.  
 Ingenijs non vlla seges, cultuque remoto,  
 Infelix gramen sterilisque tegebat auena  
 Triste pavimentum, stabantque in limine dumi.  
 Non tulit hanc specie Ludouiscus: et inclyta quondam

Tecta

Tecta dolens turpi maerentis imagine luctus  
 Foedari, hic demum Sapientia me vocat, inquit,  
 Magnanimos agitans arcano in pectoro sensus.  
 Ergo age, Apollineis succede penatibus heres  
 Loyolae magni, magnisque accingere factis.  
 Sic me Diua monet, sic mens praeit aequa monetem  
 Sic canit intus amor, meque in tua vota gubernat,  
 Lilia sic memorant fatalibus Aurea ramis.  
 I felix meus, & cognominis ardor IESV,  
 Fortunata cohors, me Principe, vocis honorem  
 Redde theatrale, namque est ea cura, Lyceo.  
 Naturae hic mores, elementa latentia rerum,  
 E tenebris euolue, viamque insiste docendi  
 Informes animos, & cerea pectora singe.  
 Vix ea fatus erat Princeps, cum sponte reuulsis  
 Cardinibus tremuere fores, nulloque trahente,  
 Dura catenatis cecidere repagula valuis.  
 Tum verò antiquos sera liberat ardua postes,  
 Hospitibusque patent ultrò venientibus antea;  
 Quos neque protriuit, quod proterit omnia, tempus  
 Non pietas Regum, populorum haud mollijt ardor,  
 Non quater ocloni domuere procaciter anni.  
 Regis ad ingenium sic se componere gaudet  
 Ipsa suo nuper adamante proteruior, at nunc  
 Mitis adulatrix humani ianua Regis.  
 Exemplò immeritis squalentia sordibus ora  
 Depositus laetata domus, nec ut ante solebat,  
 Gymnas inornatam temerauit arundine frontem.  
 Sed facies, qualem Caelestibus esse deceret,  
 Olli erat, aut Cereri, cum Vere superbit aprico.  
 Miratur rerum formas, ut forte remotus  
 Visendi studio confluxerat vndique, Gallus.  
 Ipsa cateruatum Superis è sedibus adsunt

Agm.

Agmina Virtutum, quotquot variabile ferrum  
 Atque Erebi manus à nostris procul egerat oris.  
 Una sed ante alias Sapientia dirigit agmen,  
 Auratosque suo de semine surgere flores  
 Aspicit, & simili frondescere secla metallo.  
 Ergo operi dicit prima argumenta futuro  
 Aetherei Matrona chori; Patrumque Senatum  
 Proniūs inuitans placida sic voce profatur.

Huc ades, optatoque iterum te crede Lyceo,  
 O Loyolei generis nostrique propago.  
 Scilicet haec olim deuota palatia Musis  
 Longa tuae nimium tenuere obliuia vocis.  
 Iustitio satis usque datum, sat iurgia nota  
 Palladij siluere fori. quid inertia tantum  
 Oria traducat docto sine munere Pallas?  
 At vos, o Proceres, quorum mihi plurima surgit  
 Gloria Sequanici gens consultissima recti,  
 Qui studys mentes iuuenum asperioribus aequas  
 Instruitis, multaque insignes redditis arte;  
 Este boni, sociosque laboribus addite vestris.  
 Tuque magistratu Sapientum o Curia princeps,  
 Vnde triumphatrix sacrorum oracula poscit  
 Gallia: fama ingens, meritis ingentior ordo,  
 Cui, proprias ut opes, sic nomina contulit auctor;  
 Excipe, quos reddo, comites tua iura sequitos.  
 Iunge animos, facilisque pijs allabere votis.  
 Vtraque si velox ad mundi littora nomen  
 Cum Sole extendis, nec cum Sole occidis unquam;  
 Si super rectus Paulo sub Principe iudex  
 Dicebare, graui tua cum sententia neruo  
 Exiit, aequatoque merentem vulnere pressit  
 Defectorem animum, desertoremque sacrorum;  
 Qui Vaticanini foedus modo transfuga Patris,

Hæsit

Haesit ad Oceano circum sua regna Britanno.  
Cui tamen interea manibus fabricata magistris  
Argumenta parat Romano Graecia nisu,  
Auspiciumque sequuta tuum, iam dirigit arcum,  
Expedit & neruos, & tela Cydonia torquet  
Tractatura iterum quod inussit Gallia vulnus.  
Denique, si tantum Ludouici nomine gaudes,  
Aut te si quis amor nostri si gratia tangit;  
Laudibus hanc etiam natalibus adjice partem,  
Ut sobolem tueare meam, sociamque laborum  
Esse velis quam nulla tibi vis eximat aeui  
Impia, cui nulli sine te quaerentur honores.  
At Loyoleae, Ludouice, propaginis hospes,  
Herorum genus, atque idem fortissimus Heros,  
Iustitiae proles, sanguis meus: en erit unquam,  
Ut tibi persoluam grates, ut praemia reddam  
Debita, qui terris scelerata tuentibus olim  
Secla, recedentem, Caelique ad sidera pulsam,  
Humanique iterum reuocatam ad luminis auras  
Me tegis, atque nouas semper traducis ad oras,  
Felices oras, felicia tempora; nec me  
Curafefellit iners Aurum fatale serentem,  
Sperantemque meis fortunatissima rebus  
Auspicia in terris, simili si forte metallo  
Semina florarent, Aurataque Lilia ferrent.  
Euenere: Domus Borbonia reddidit Auro  
Secula praeterito, meque in mea Regna remisit.  
Quid desperandum, Ludouico Principe? vos &  
Sidereae Comites, Caeli quae ducitis auram,  
Incorrumpa Fides, & nudi conscientia Veri  
Virgo, verecundusque Pudor, & amoena Venusta,  
Et Recti tenor, & domitrix Prudentia fati,  
O agite, & simili Iuuenem stipate corona,

Quan-

Quandoquidem primas venientem in luminis oras  
 Olim excepistis, memini, Pueroque deditis  
 Non sine mente animos, & non sine pectore corpus.  
 Tuque adeò, ante alias, nitidis Pax aurea pennis  
 Huc ades, aethereasque relinque volubilis Alpes,  
 Quò te magnorum Ludouicus in agmina Regum  
 Impulit, & ramum praetendere iussit oliuae.  
 Vidimus Aemiliae campos, Phaëtoniaque arua,  
 Quae Padus aëreo loca subdidit Appennino,  
 Regnatosque diu Dominis Insubribus agros,  
 Quos circum Ligures, quos circum Allobroges errat;  
 Vidimus ingenti latè exundare tumultu,  
 Et consanguineas armare in praelia gentes.  
 Accepit strepitus, & saeva sonoribus arma  
 E patrio Tyberinus agro, timuitque Latinis  
 Roma sequunturum post saeva tonitrua fulmen.  
 Forsan & Aufoniae Regionibus ultima tandem  
 Fata minabatur tempestas ferrea belli;  
 Oenotriamque super iam ferreus astigit ensis,  
 Qui cor Italiae petijset auarus honesti  
 Sanguinis, & vitam vitae ipso in fonte bibisset.  
 Sed tu Romano iunctus, Ludouice, Parenti  
 In tua traxisti currentem vota Philippum;  
 Ut pacem coleret, cognataque poneret arma.  
 Si viuit, vobis iam debeat Itala tellus:  
 Situlit horrendos Othomanica in armi timores,  
 Si fatum aufugit, fatique vicaria tela;  
 Vestrae opis est, vestris incumbit gratia factis.  
 Vos precor hunc, Superi, Iuuenem seruate, meretem  
 Viuere Nestoreos, semperque viriliter, annos:  
 Nec quia iam terris Ludouicum Regia Caeli  
 Inuidet; in ventos abeant pia vota precantum.  
 Hic longos agat ille dies, hic audiat aulae

Magna-

*Magnanimus Princeps, & seruantissimus aequi.  
Quotque dies aget, innocuos sine caede triumphos  
Tot ferat, & magno maior Patre comprimat hostes.  
Dixit, & attentas Sapientia liberat aures.*

---

## SS. DIDYMI

## ET THEODORAE

*Ingeniosa, & defendendae virginitatis praelia,  
& mortis pro CHRISTO obeundae  
certamina*

## PAEAN

## A FRANCISCO BONCOMPAGNO

Sem. Rom. Conu. dictum.

## CARMEN IV.



*ON mihi tu, Didyme, innocui flor  
integer aei,  
Illaudatus eris. Non tu, Theodora,  
pudico  
Exaequanda viris animo, licet im-  
pare sexu:*

*Femina, sed veteres Heroidas inter habenda.  
Nobile par Iuuenum: fortissimus alter in armis,  
Altera virginiei pulcherrima flore pudoris.  
Excepto, quod uterque pio certamine pugnat  
Maturare necem; aut seruati nomen amici*

Praeri-

Praeripere, aut certè socium praecedere morti,  
 Et prius interitum pro Religione pacisci:  
 Vno dissimiles, ad cetera crede gemellos,  
 Forma ambos animique pares, aetatisbus ambos et  
 Nulla quibus, nisi fatorum, discordia; nullum  
 Dissidium, nisi muriis, erat; communia vitae  
 Commoda communis terrae natalis origo,  
 Quam fluvio humectat myrrhae sudator Orontes.  
 Magnum opus agnoscitur, iuris Libethride maius.  
 Et, nisi me Pietas tantarum consensu reram  
 Erudit, penitusque rigorium pectora tutraret;  
 Ingenium mihi sit magnis ambagibus impar.

Aliger, o Superae non ultimas arbiter Aulae,  
 Quem penes Assiry recidit custodin mundi;  
 Seu Carmelon amas, habitabile vatibus antrum,  
 Seu colis aerias orae Libanitidis arces;  
 Huc ades, & teneros aspira in currima sensus;  
 Persitiae, sensus, quos nulla redarguat vetas.  
 Et miminisse potes, quando tibi gratia facta  
 Prima manet, tu consilij fidissimus auctor,  
 Nec sine te seris ea fama nspotibus haeret.

Clauserat indigno Theodoram carcere fornix;  
 Hic ubi non manibas, sed iniqua catena pudori  
 Induitur, si virginem malèsanus amore  
 Emolliret amor, propriaque domaret in arce.  
 Iamque adeò non hic Fideifera bella parantur:  
 Bella pudicitiae subeunt; & causa Deorum  
 Quae fuit; esse hominum, petulantibus incepit ausis.  
 Illam Tartareis excita paludibus unda  
 Bellatum aggreditur; facibus iuuenibus illam  
 Turba; sed ante alios, illam sua denique forma  
 (Forma, malum quo non ullus violentior hostis)  
 Oppugnat, propiorque timenda pericula necit.

At Pudor, & niueae tacitura Modestia frontis  
 Stat contrà, Rectique tenor, stat Mascula virtus,  
 Defixique in terram oculi, stat paupere cultu  
 Simplicitas; post haec animo quātū instar in uno est?  
 Et poterit, cùm bella ferant, unum omnia peccus  
 Tela hominum furibunda repellere, tela Deorum.  
 Interea, dūm sacrilegis mora moribus obstat,  
 Et circumfuso vallatur milite fornix;  
 Explicat in Caelum flagrantia lumina Virgo,  
 Lumina, nām voces prohibet dolor. illa tacendo  
 Quaerit opem; quaerit, si quām medicina salutem  
 Afferat, & mutis accedit sidera votis.  
 Nec lacrymis caruere genae, si vocibus ora.  
 Quanquam oratrices animi cùm forte querelas  
 Fundere conatur; tot inarticulata resultant  
 Verba sono, nec habent ullos suspiria sensus.  
 Non ideo, indepensa licet, tamen irrita surgunt  
 Pectore; saepè etiam, quāmuis ignara loquendi,  
 Arguantur, habentque suos suspiria sensus.  
 Nec minus interea turbati nuncia cordis  
 Signa praeit vultus, varijsque coloribus anceps  
 Aestuat, ut primo cùm sole reciprocat vnda.  
 Nobile virginea credas in fronte theatrum:  
 Hic ubi legitimus pugnae campique magister  
 It Pudor, & tota moderator oberrat arena:  
 Hic Timor, infelix animi mouet arma satelles:  
 Hic subit hortatrix auidae Fiducia mentis,  
 Pallorem Rubor, & Pallor fugat arte Ruborem,  
 Miscenturque vnde; sed, cui victoria palmam  
 Annuat, incertum facit inclemens pugnae.  
 Quid faciat, qua vi dirimat certamina Virgo?  
 Vritur, & dubio curarum fluctuat aestu,  
 Et timet & sperat, palletque rubetque vicissim,  
 Spem-

Spemque metumq. rigat lacrymis, augetque rigando  
Semper, & in segetem, maeroris semina crescent.  
Sed dirimit certamen Amor, quod cura Pudoris  
Mouerat; ingenuaeque preces, auditaque Caelo  
Vota, cicatricem obducunt, & vulnera placant.

Nec mora, ferrato strident in cardine postes  
Fit via, panduntur subeuntibus atria mortis.  
Quis tibi tum sensus Virgo? si quem tibi sensum  
Liquit amarities, neque frigidus abstulit horror.  
Ut tibi cor aperit, portae fragor ille patentis?  
Ecce autem, ante alios Iuuenis pulcherrimus omnes  
Emicat, & celeri media inter millia fallu  
Sternit iter, seque obseffa in limina condit.  
Illi forma ferox, sed amoena ferocia formae est.  
Colligit intonbos aerata casside crines,  
Pectore belligerò thoraca obducit, ahenis  
Horrentem squamis, surasque illuminat ostro.  
Barbaricam super his chlamydē, peregrinaque Regū  
Tegmina per collum nodo ligit: inde fluentem  
Liberat ex humeris, & vitroque resoluta ab armo.  
Omnia bellanti similis, vultumque, coloremque,  
Armaque vibrata iam ventilat ardua destra.  
Ut stetit ante oculos, & inertia Virginis ora,  
(Ora modis, ut nunquam alias, pallentia miris)  
Sic vocem exemplō rumpit, frontemque serenat.  
Parce metu, Theodora: Deus iubet: Excute pectus,  
Siquid pectus habes, magnisque accingere factis.  
Haec ille: at curas non ponit pectore Virgo;  
Nam timor ingreditur, quā semita facta saluti est.  
Haeret, & attonitae similis mentita veretur  
Dicta; nec obsequium, sed caecas militis artes  
Nondum tuta satis credit; fraudemque latenter  
Mollibus in verbis, metuitque in melle venenum.

Quidquid id est, habitumq. timet vultumq. loquentis  
 At Iuuenis: Quid adhuc venturae conscientia sortus,  
 Casta ministeria, & diuertia certa timoris,  
 Ipsaque praefidia horrecois, dextramque medentem  
 Dage, parce metu, teque his procul eripe rectis:  
 Nam neque causa metu lacrymisque dolentibus iſſu  
 Tempus eget; nunc te maiorem finge periclis:  
 Vt eſt fortuna, quoniam licet, utere Caelo.

Me quoque, si nescis, tecum communia vitae  
 Vota ligant; me CHRISTVS habet, me iura Fidesque,  
 Et Domino dixi pia sacramenta Pudori.

Fortè tuas Didymi nomen s' venit ad aures,  
 Ille ego sum; neque virginis praedator honoris,  
 Sed custos adjsum; quem (Caeli sidera testor)  
 Si vacet; hac anima moriens, hoc sanguine pascam.  
 Interea, quoniam melior sententia surgit;  
 Mutemus vestes. Ego, quanquam ex milite virgo,  
 Defendam memet: Tu coniro, ex virginis milis,  
 Teque tuasque niues rapies tutissima flammis.  
 Quare age, nunc animis opus est, nunc pectora forti.  
 Hoc mihi mēs agitat, sed agunt sue Numinis mentis,  
 Fausta que promittunt audacibus omnia coepit.

Vix ea cām medījs fēse penetralibus infert  
 Nescio quid magnum meditans argentea nubes.  
 Ut gremium rādījs graue diffidit; emicat ingens  
 Scissa nube dies, & laminis aureus imber.  
 Verū, ubi sidereos lux circumfusa reducit  
 Hinc atque hinc radios, & aperta per atria purgat;  
 Alati Iuuenes, genus insuperabile forma  
 Apparent, famulasque manus, operosaque praefstant  
 Obsequia, & factis ingentibus omina firmant.  
 Tum verò multa Theodoram in luce latentem  
 Expediunt alacres, armisque virilibus aptant.

Hic

Hic habilem loricam humeris, & sutile ferrum  
 Induit; in galeam caput inserit ille comantem;  
 Dant alij chlamydem dorso, surisque cothurnos;  
 Pars gladio dextram insertat, clypeoque sinistram,  
 Et bellatrixem componit Amazona pugnae.  
 Pars contraria Didymum muliebribus implicat armis;  
 Armaque sunt, nullo chlamys exsaturata veneno,  
 Qualem texuerant natuuae vellera lanae:  
 Et leuis incompto de vertice carbasus, imos  
 Lapsa sub usque pedes, nullis interlita gemmis,  
 Cupidulis nullas intexta rigentibus oras,  
 Non leuibus punctim plagulis incisa; neque illam  
 Aut ostro manus, aut ferragine pinxit Ibera.  
 Picta satis chlamys est, variataque diuite luxu;  
 Gesta verecundae quam Virginis ora colorant:  
 Ipsa sibi pretium, decor & sibi plurimus ipsa est  
 Virginitas; nec amat pudor oppugnatus honorem  
 Quem dedit incautae pellacia subdola formae.  
 At manus Aligerum postquam generosa paregit  
 Officia, & ferro cincta custode Pudorem;  
 Exemplo aerias incognita cessit in asinas.  
 Hic animos primum recipit perterrita Virgo;  
 Qui metus, atque dies tulerat modò plurima noctem,  
 Et tenebras oculis animoque creauerat horror.  
 iam verò exsultat; maioraque viribus audet  
 (Sensit enim sibi pectus agi) iam fronte rigorem  
 Effera mentitur, iam pectore concipit ignes  
 Pectore maiores, & plusquam Virginis iras.  
 Sunt tamen haec placidi confinia certa furoris,  
 Non furor; iratum rubicunda crepuscula vultum,  
 Non irae accendunt; velet furibunda videri;  
 Non tamen aut furor aut furiarum exercitus omnis  
 Sunt satis, ut Virgo possit furibunda videri.

Ira venustatem inflamat, iramque venustas  
 Temperat; ut dubites, an amoena modestia frontis  
 Irasci discat, fierine modestior ira.  
 Tantum operis, vultu natura locauit in uno.  
 Tum Didymus: Quoniam Caelum tibi militat, inquit;  
 I felix, i Virgo, illis assuecerunt sub armis  
 Vincere, non illis victoria distat ab armis.  
 I, sequere imperium & castissima signa Pudoris.  
 Dux Pudor est: sectare Ducem quocunque vocari.  
 Haec ait: at Virgo, postquam iustissima vultu  
 Vota serenauit, conseya immobile pectus,  
 Risit; & Hos, inquit, dum vita trahitur artus,  
 Te quoque sectabor, Didyme, o dulissime rerum,  
 O fidei comes, o vita mibi carior ipsa,  
 Votorum custos propugnatorque meorum.  
 Vitam quam duco, tu ducitur: accipe praedem  
 Me vitae, dum te capio fugitiua, Pudoris.  
 Felix, heu nimium felix, si munera reddam  
 Debita, & hanc animam pro virginitate rependam.  
 Interea Vale supremum, o mea maxima cura.  
 Dixit, & intrepidos educit limine greffus,  
 Militis os habitumque gerens, sed pectus honestae  
 Virginis; erumpitque aditus, interque frequentes  
 It iuuenum cuneos, superatque interrita portas.  
 Namque adeo casus fugiendo evaserat omnes;  
 Cum subito foribus circumdiffusa iuuentus  
 Infert se vacuis factio velut agmine teclis,  
 Visendi studio, quem summa pericula finem  
 Pugnandi dederint; victrix, an vieti supersit  
 Virginitas. omnis populorum hic confluit ordo  
 Discere, quem faciliter referat Theodore tenorem  
 Fronte; verecundo visurus in ore trophaeum  
 Prostrataenè Pudicitiae, vicienè Furoris.

Inte-

Interea vix factum oculis vigilantibus hauisit  
 Praeses, qui totam fraenabat legibus urbem :  
 Agnouitque virum, dum credidit ora tueri  
 Virginis; An falsae deludor imagine lucis ?  
 (Exclamat) trepidamnè aliquod male numen amicis  
 Eripuit mentem ? quis me mibi substrahit error ?  
 Virginibusnè etiam sit nostra potentia ludo ?  
 O caput infandum, Stygys damnabile regnis !  
 Siue dolos agitas, faber ingeniose malorum,  
 Siue reluctantem deducis carmine Lunam :  
 Quisquis es; incerto certas pro crimine paenas  
 Solue mibi calido nunc sanguine : vincula lictor  
 Necte cruentando capiti, dissoluere securim,  
 Ense recidatur dignissima funtre ceruix .  
 Dixerat . at dicto citius funesta per urbem  
 Pompa trahebatur, macilandaque victima ferro .  
 It Didymus, multo stipata satellite dicens  
 Membra, reus fati, sed fato denique maior :  
 Ne tamen it, rapitur; nam se rapit ipse volentem;  
 Quem suus urget Amor, cogitque ad funera gressum  
 Moliri sua ; Carnificem quis nescit Amorem ?  
 Deuenere locos, ubi propter moenia campus  
 Explicat arboribus caueam domibusque negatam .  
 Scilicet hoc demum plaudenda tragedia Circo est.  
 Iam Didymus ferro dedit inviolabile collum,  
 Carnificem voce increpitans, mortemque morantem;  
 Iam lictor teneri sifientem sanguinisensem  
 Extulit, atque altè meditantem vulnera dextram.  
 Incidit hic, ut fortè latentia tecta Pudori  
 Quaerebat Theodora ( illam casusnè , Deusnè  
 Duxerit, incertum ) medioque in funere vidiit  
 Haerentem Didymū, & iam iam sua fata vocantem.  
 Ut vidiit Virgo, ut pergit spectacula vultus

Protinus auersata cohorruit. Inde pericli  
 Immemor, armorumque, pudicitiaeque, suique,  
 In medios ruit, & medys in millibus una,  
 Siste: quid (exclamat) Iuuenem nil tale merentem  
 Obtruncas ferro, lictor? conuerte securim  
 In caput hoc; merui, nec deprecor; utere ferro.  
 Haec simul aiebat, simul & nudabat ad iectum  
 Ingenuae ceruicis ebur; simul obuia morti  
 Colla obiectabat, chalybem exceptura cadentem.  
 Tantane virgineo virtus in pectore regnat?  
 Tum sic aggreditur dictis, causamque perorat.

Audiat haec Caelū, vosque ò sanctissima mundi  
 Numinā, perpetuaeque volantia sidera, flammæ.  
 Innocuo Iuueni properatis funera crues:  
 En rea, quae nuper truculentum egressa lupanar,  
 Delusi vestras animis imbellibus artes.  
 Ite viri, quibus una potest imponere Virgo.  
 Neu mea virginitas rigidis spectetur ab armis;  
 Saepè puellaris ferro est aptissima virtus.  
 En ego sum Theodora, ego constans illa Deorum  
 Contemptrix; quibus aeternas vos tollitis aras.  
 Ipsa mei vindicta adsum, me culpa reposcit  
 Ad paenam: fugi; fuga compensanda cadendo est.  
 Tu vero, Iuuenis, quem non tua crimina torquent,  
 Non tua paena premit; ferro nunc subtrahe collum.  
 Arma, quibus circundar, habe tua: funera nūquam,  
 Quae mea sunt, cedam. iactura facilissima lucis  
 Femineae: quid enim viuendo femina possit?  
 At tu viue meos, qui vita es dignior, annos:  
 Tu patriæ supereffe velis: ego morte pudorcm  
 Tutabor melius, ne sit mihi vita pudori.  
 Forte reformidas, timidae ne Virginis ora  
 Morte perhorrescant; Iuuenum fortissime, curam

Quam

Quam pro me geris; bane potes & deponere pro me;  
Me quoq; tangit honor; mibi factū ad vulnera pectus  
Fatorumque capax: mibi prodiga sanguinis aetas,  
Quae miseram didicit viuendo spernere vitam.  
Cede; per has ego te lacrymas, per si quid amantum  
Cura potest, Didyme: en pectus penetrabile ferros  
Me facilis permitte mori: qui que ante dedisti  
Dona pudicitiae, da nunc mibi munera mortis.

Immò per has ega te exuiias, & conscientia facti  
Vela precor (Didymus clamabat) desine causas  
Nectere; magnanimos agnosco pectoris ignes.  
Indolis à quantae Virgo! quae causa nocentem  
Me facit, innocuam te subtrahit illa peniclo.  
I quò virginitas tua te vocat: i procul armis,  
Nam procul à castis sunt & sua castra Pudori:  
I procul, immeritam sceleri te nuper ademi,  
Tu contrà eripies palmam mihi? Plura parantem  
Dicere non talit implacabilis ira tyranni.  
Ergo age, quandoquidem profugere certat eterque;  
Vincat eterque, inquit; neque votis deficit ensis,  
Nec manus. I lictor, molire in colla securim;  
Conset inexhausto victoria sanguinis imbre  
Dixit, & intrepido furibundus avinace miles,  
Heu facinus! Didymi caput à cornice recisum  
Ostinet, ruit ipse suo tūm pondere truncus.  
Inuidit Theodora necem, dovitique relinqui.  
Tum verò in mortem caput obiicit: illud ab alto  
Penile vulnus agit: quanquam (à miracula!) lictor  
Ter conatus erat cervicem abrumpere ferro,  
Ter frustrà cecidere ictus: ter amioa refugit  
Dextra nefas; tanta est casti reverentia vultus.  
Purus abit de caede crux, terramque pudico  
Imbre rigat, terramque suo facit imbre pudicam.

At Theodora grauem facili dat mole ruinam,  
 Sed procul à Didymo, velut aspernata iacentem;  
 Nec super exsanguis corpus procumbit amici.  
 Vsque adeò celuit, vel nigra in morte, Pudorem.  
 At sese aethereis animae amplectuntur in oris,  
 Fortunatae animae; quibus indulgentia fati  
 Mutua siderea accedit in aethere flamas.  
 Cedant Oebalij, felicia sidera, fratres:  
 Eximit en Didymus, Caeli statione, gemellum  
 Castoris; & Virgo, pro Castore, casta triumphat.

---

## SANCTVS IGNATIUS LOYOLA

In arce Pampelonensi defendenda, tormento  
 ictus. Vnde illi de inferno hoste  
 victoria.

E PINICIVM  
 A IOANNE TURPINO  
 Sem. Rom. Clerico dictum.

C A R M E N V.



VID tibi cum rigidis, Ignati bel-  
 liger, armis?  
 Quis tam durus amor, quae tanta  
 licentia fati  
 Rursus agit? quid te sequeris, fe-  
 ra bella sequentem?  
 Inconcessa petis; non hos tibi tempus in usus

Labi-

Labitur: in mores alios, alia arma, terendum est:  
 Sat Marti mortique datum: desuesce vocari  
 Miles, & auspicijs melioribus in due nomen.  
 Quidquid ia est (Caelum iubet) obliuiscere bellum.  
 Haec ego magnanimi revocabo exordia facti  
 Si mea vox inter lituosque tubasque sonantes  
 Audiri poterit; bellique immersa tumultu,  
 Pronius ad vestras penetrabilis accidet aures.

Venerat Hispanas Gallorum exercitus oras,  
 Quā Pyrenaeas generosa Nauarra sub arces  
 Tollitur in Superos, atque orbibus inclyta centum  
 Strymoniam campis Borealisbus aspicit Arcton.  
 Iamque adeò ingentis caput inviolabile Regni  
 Pampelon inclusos Autrigonas arce tuetur.  
 Iam circum undantes defensa ad moenia Gallos  
 Absterrent, propiusque detant inuadere Martem  
 Vascones, & bellī furor increbrescit utrinque.  
 Strenuus ante alios, Ignatius ardet in armis,  
 Consilio dextraque potens, in utrumque paratus  
 Aut Ductor dare iura, aut iura capessere mites.  
 Non tulit hanc speciem fatorum neclusus Ales,  
 Cui Loyoleae cecidit custodia mentis.  
 Protinus allapsu se se inter sidera condit,  
 Et venit aetherei Divina ante ora Tonantis,  
 Multa precaturus: placidae tūm frontis honestum  
 Deponit iubar; & venerandum Numen adorat,  
 Dulciaque apositis aspergit vota querelis.

O, qui sidereo complectaris omnia vultu,  
 Magne Parens, Superūq hominūq. aeterna potestas.  
 Aspicias, ut primis Ignatius errat ab annis:  
 Ne fugit, & votis contraria vota laceffit?  
 Tum hi, sidereas venientem in luminis auras  
 Hanc animam cum forte dares, meliore tuendam  
 Auspi-

Auspicio, quoties sortis praesaga futurae  
 Verba renarrabas, quae pectore condita seruo :  
 Hunc fore, qui summo virtutem extendat Olympo,  
 Praedatorem Enebi regnare meque profundi ,  
 Qui Superam multis cultoribus augeat Aulam .  
 En , quò prisca mibi, quò fata nouissima vergunt .  
 Ut primum patiensque sui patiensque laborum  
 Vita tulit, dura tunc durius aegide pectus  
 Cingers, tunc lateri rigidum suspendere ferrum,  
 Et moliri arcus, & spicula tundere cornu,  
 Et quatere explosis tormenta tonantia flammis .  
 Creuit amor belli, dum lubrica cresceret aetas :  
 Iamque ter octonas, viuendi ab origine, messes  
 Censuit, & coepit ingentibus arma retractat ,  
 Et terit indigno, vitae filia aurea , ferro .  
 Semper ego affixus lateri, cui barbarus ensis.  
 Semper adest? quem das finem, Rater optime, caedis  
 Spero equidem, nec vana fidem sanguentia torquet;  
 Sed facis audacem, dum me facis ipse precanem:  
 Hunc mibi, quicunque est, animo tu suggestis ignem:  
 Agnosco sanctae vestigia proxima flammea ;  
 Quae sese insinuat, vocemque in verba gubernat.  
 Incute vim, penitusque ferocia pectora versa :  
 Injice tranquillos animos, allabere cordi ,  
 Aspiratura, genitabile numen, in aura :  
 Peile sitim fumantis auaritiemque cruoris :  
 In se belligeras conuertere nouerit artes ;  
 Vincere se, quae restat adhuc victoria, discat.  
 Vix ea, cum, vultu iussissima vota serenans,  
 Annuit Omnipotens ; & , Desine, dixit, amantum,  
 Fide, querelarum : luctantem immota sequuntur  
 Fata virum, iam iamque pede pede pressus urgent.  
 Venit sumpta dies, & non reuocabile tempus ,

Quod

Quod meliora ferat; iam proxima meta labori est.  
Bellorum satis, aspersaque cruoris abunde.

Dediscat fera bella, pias exerceat iras.

Vade, age, qua tollit fatalia moenia turris,

Et seruat Superis armamentaria Caelum:

Hic fortunatum sed ineuitabile fulmen

Selige, quod tacias, detrectantemque clientem

Fata, feri; pro caede ferent ea tela salutem.

Dixit: at haec animo mandata reciprocat Ales,

Et mouet aligeros ad grandia munera gressus.

Est, in secreta Caeli regione latentis,

Nixa super duris moles adamantina gemmis,

Parietibusque cauam surgentibus explicat aulam.

Has Caeli sedes, loca foeta ferocibus armis,

Vlrites animae, tristisque pedisequa culpae

Paena subit, quoties vltorem crimina poscunt:

Illi, ut perhibent, affixa trabaliibus uncis

Instrumenta necis surgunt; it abeneus ordo

Armorum, circumque oram testudinis errat.

Hic exercituum terror, qui vulneris icu

Vno eodemque virum mille agmina dissipat, ensis.

Hic clypei immanis fatalia pondera pendent,

Scutaque perpetuas umbone tegentia terras,

Fulminibus factura moram: nec fulmina desunt,

Quae freta, quae terras, quae fundamenta domorum

Peruellunt, quatiuntque imis è sedibus orbem.

Hic saeuae bolides, flammaeque tricuspidis ignes,

Qui, cum forte comam pandunt & in aëra purgant;

Accendunt toties minitantem dira Cometen.

Haec belli domus, & telorum dira supellec

Accipit alatum Iuuenem: sed copia fingit

Incertum, quid fata velint, quo vulnere peclius

Loyolae feriat, quae tela salubrius optet.

At pendentem animis, oculosque ad cuncta mouentē,  
 Allicit innocuos fabricatum fulmen in usus;  
 Fulmen, quod dextro vibratum Numine quondam,  
 Saulus inexhaustae spirans necis atque minarum,  
 Sensit apud celsa crescentem mole Damascum,  
 Cūm, volucris deiectus equo, dediscere noctem  
 Coepit, & irato metiri è fulgere lucem.  
 Hoc sibi tūm multis è millibus Aliger unum  
 Secernit telum: sed puro nectaris imbre  
 Aspergit furibundum, & mistas temperat iras;  
 Ne grauius feriant, in cote retundit Amoris.  
 Vsque adeò, Ignati, Superos tua vulnera tangunt,  
 Ut vel saeuia tibi mansuescere fulmina possint.

Interea rigidum Pamplonaē ad moenia Martim  
 Intulerat Gallus; sed Vascones arma repellunt,  
 Et procul ex altis responsant turribus hosti.  
 Foxius, armato, qui Dux erat agmine Gallos  
 Finibus è patrijs, & milite maior & ausis;  
 Moliri iubet, ascensuque inuadere muros,  
 Gallicaque Hispanis infigere Lilia Castris.  
 Nec mora, iam muris scalae pendentibus haerent,  
 Iam gradibus nituntur, inobseruatus in arcem  
 Quā patet introitus: primo fortuna labori  
 Quae fauet, illa nocet; paucorum ut cognita virtus,  
 Ascensuque aditus facili iam visus ad hostem est;  
 Idem omnes inuitat bonos, idem excitat ardor.  
 Certatim insiliunt quā semita dicit in urbem,  
 Arripuntque gradus; hos mordicūs ore tuentur,  
 Exercentque manus, & se statione vicissim  
 Proturbant, superantque, reperiuntque, ruuntq;  
 Obnixique, humeris super & ceruice suorum,  
 Pectus agunt, tolluntque caput, calcantque relictos.  
 Et iam turmatim fastigia summa tenebant,

Cum

Cum laudis priuatus amor communia turbat  
 Commoda, communis simul abripit impetus omnes,  
 Omnes mole sua & casu voluuntur eodem.  
 Quo casu assurgunt animi; pudor, iraque vires  
 Extimulant, urbem subita obsidione coronant:  
 Nequa vacet bello facies; iam praelia circum  
 Mille ferunt diuersa locis; pars moenia tentat  
 Scandere, & ulcisci veterem virtute ruinam;  
 Pars attollit humus densae testudinis arcem  
 Obiectu clypei & fortis curuamine dorsi;  
 Pars ignes iaculatur, & ingeniosa furentum  
 Argumenta facum: celeri volat actus habena  
 Malleolus, tortisque vibrata phalarica neruis;  
 Et secum, quocunque volant, incendia portant.  
 Pars agitat procul, at propiora pericula mittit;  
 Maioresque tubos, & ahena tonitrua grandi  
 Explodenda globo signatos librat ad ictus.  
 Ut primum iniectos sensit pila missilis ignes;  
 Quo iaciebatur venit improuisa, priusquam  
 Admoneant fragor & feralis fulgura lucis.  
 Ilicet ingenti murorum clade patescit  
 Urbs, hostemque vocat: iamque indefensa parabat  
 Colla iugo, seseque in foedera miles agebat.  
 Cum subito facibus mistaque Ignatius ira  
 Feruet, inextinctamque gerens in fronte fauillam,  
 Per medios ruit: & Quo vos timor abripit, inquit,  
 O viles anime, & vaenalia pectora paruos  
 Sistite, si quis amor patriae, vel si qua parentum  
 Gratia pectus habet. quæ nunc contenditis, itur  
 Ad ferale iugum, detestandamque catastam.  
 Nec pudet, ingenuum mala ducere sub iuga collum;  
 Vsque adeonè mori dolor est, ut vincula morti  
 Praetulerim & peream, modo mors liberrima vitam

Finiat,

Finiat, & patria ante cadat, quam seruiat hosti.  
 Ite, quibus factum magis est ad verbera dorsum  
 (Et video & doleo) quam pulchraad vulnera peletur,  
 Quos victoris Heri inuat exitiale tributum.  
 Vnde vos, quibus est vitae tam foeda cupido.  
 Solus ego, si me solum fortuna pudori  
 Subtrahet, obiectu capitis certamina posco.  
 Quod si forte animam generosa in caede relinquam,  
 Vos mea degeneres mors arguet: ipse decoro  
 Sanguine laudabor maculam extinxisse meorum.

Dixit, & in medium se se rapit arduus hostem.  
 Iamque propinquantem muroramque alta prementi  
 Sepimenta manu, dorso connexus & armis  
 Reicit, inque humeros incuruat ab aggere turris.  
 Nec fraenare potest propiorem in margine cursum,  
 Quem semel arripuit: propria iam mole ruebat  
 Ponè sequaturus, seque insuper ipse datus;  
 Cum subito occurrit, fugitiuaque terga reportat  
 In Martem miles, resupinatumque coercet  
 Loyolam à lapsu, dein morte ferocior ipsa,  
 Desperat, speratque: sed arma ministrat utrunque;  
 Arma dolor, pudor arma facit: stat longa tueri  
 Moenia, tormentisque arcere tonantibus hostem;  
 Aut cadere, et pulchram petere inter vulnera morti.

Ecce autem, aduerso qua propugnacula clivis  
 Sustulerat Gallus, basiliscum triste minantem  
 Aere cano, & ferri pondus fatale vomentem  
 Hostis ad exitium, suspendit curua rotarum  
 Libramenta super; dein pulueris ingerit ollas  
 Sulphurei, duplicatque, & nitram nigrantia densat:  
 Aeratumque globum, quantum capit ore tremendo  
 Machina, submittit, certaque attemperat arte.  
 Hic oculis metitur, & alte consulit iustum,

Sor.

Sortitusque locum caedi funalia longè  
 Nutrimenta facis, tereti protendit in hastā,  
 Quā colubri aerato patuere foramina dorso.  
 Nec mora, subsiliunt obturamenta, propinquō  
 Igne laceffita, horrendum dant aera fragorem,  
 Et feriunt aures, feriunt quoque lumina flammae:  
 Sed, ferit exploso quae turbine, ferrea glandis  
 Emicat; illa volans boīila veròere pulsat  
 Moenia, murorumque suprema è parte reuulsum  
 Longius eiecit at valido luctamine saxum.

Hoc tibi nunc venit, Ignati, surasque rigenti  
 Aere cothurnatas, & crura latentia rumpit,  
 Prostratumque affligit humo, spemque abyicit vna  
 Pugnantum sociorum, & tecum vulnerat omnes.  
 Exemplò positis turbati Vascones armis  
 Deseruere aditus: animam cecidisse putares  
 Militiae, sic friget iners exercitus; hostem  
 Iam sponte accipiunt, iam propugnacula pandunt,  
 Iam leges & iura volunt; iam Gallica turres  
 Signa gerunt, ventoque volantia Lilia plaudunt.  
 Vedit anhelantem misera sub caede clientem  
 Aliger, aetherea qui nuper ab arce vibrandum  
 Attulerat fulmen; tunc denique tempora noctus  
 Opportuna sibi, dextro molimine ferrum  
 Liberat. Illud abit Loyolaeque aurea portat  
 Vulnera, transadigitque latus cratemque sinistri  
 Pectoris, infixumque profundo in corde quiescit.

Surge age: posterius medicinam crede prioris  
 Vulneris, Ignati; quid tela ferocia tractas?  
 Surge age: non caedem, non vulnus amabile sentisti  
 Iam tibi, crede, aliis pugnandi nascitur ordo.  
 Non hominum te bella manent, sed bella Deorum;  
 Sed scelerum, Stygijque manent certamina Marti.

*Aspicis, Oceanus quantum complectitur orbem?  
 Illuc immites iuratam ad bella cohortem,  
 Foeda profanatis orbantem altaria sacris,  
 Impiaque immeritis arcentem numina templis.  
 Quid referam, Duce te, Stygys claudenda cauernis  
 Saeua tyrannorum capita, indocilesque colubros  
 Orbe procul toto, Phlegetontis in antra fugandos?  
 Ante alias, tibi Roma vacat penetrabilis, oras;  
 Quam tu saepè vocabis, & ipse vocaberis illi,  
 Postquam sidereo transcribes nomina Regno.  
 Scilicet hinc palma, & spolijs Acherontis onussum  
 Ad Caeli referes Capitolia celsa triumphum:  
 Romanosque animos, captiuaque vota Quiritum  
 Ad currum duces, dominantemque urbibus Vrbem  
 Nobilis aurigam tibi nanciscere curulis.  
 Finge, age, te geminum Saulo, moresque tonantes  
 Indue, quandoquidem tonitru cecidistis eodem.  
 I Saulo comes, & generoso munere compar,  
 I, terris infer, vas nobile, nomen I E S V.*



## VIRGINIS

Nascentis ad vitam

## GENETHLIA CON

A N. N. SEM. ROM. CONV  
dictum.

## CARMEN VI.



ENERAT in lucem Diui lux  
filia Solis,  
Mox solem paritura suum; Nati-  
que, Patrisque  
Iam tum plena, pio dotarat lumine  
terras.

Cum manus Aligerum micat obsequiosa, cadentis  
In morem nimbi, Dominam nutricis egentem  
Exceptura sinu; donec maturior aetas  
Exuat imbellis annos, sat conscientia vitae.

Dux Procerum Gabriel, qui mox ad Virginis aedem  
Maius opus moueat, Diuinæ nuncius Aulae.  
Ergo agit, & tardos velocior increpat Euros  
Mensus iter Gabriel, quæ viuo in fonte Voluptas  
Nascitur, irriguo dare nomen idonea campo.

Est locus, Eos ubi sol propè despicit Indos,  
Trans marium terraeque vias, & limina mundi,  
Trans Libyaë sidus, curuantem brachia cancrum,  
Hic fortunatae latis in vallibus Heden  
Assurgit regio, Caeli latus inter utrunque,  
Nec niuum patiens, nec inertibus horrida flammis.

ETRURIA

In medio Euphrates admisit Tigride surgit,  
 Nilusque, & Ganges; ubi quatuor una fluentis  
 Vena tumens, uno se nomine voluit & atqueo.  
 Donec in abscessu ruris, totidem ostia pandit,  
 Quot mistis crescebat aquis: tum redditus amnis  
 Quisque sibi, refugit, propriasque recolligit undas.  
 Haec inter nemora, & viuacis secula Veris  
 Postquam primaeui scelus expendere Parentes,  
 Anguis ob inuidiam, pulsi fatalibus oris;  
 Attulit artificem locuples Sapientia mentem:  
 Quaque manus stabiles librauit pondere terras,  
 Suspenditque polis Caelum; fabricauit eadem  
 Venturae cunas Dominae; puerile tributum  
 Colludentis adhuc, sua per cunabula, mundi.  
 Nam, qua floriferi medium cor praesidet horti,  
 Surgit, in inuidiam Caeli, genitabile germen;  
 Quod cum felici Deus ipse locaret in aruo;  
 Tu mea, dixit eris, Vitaeque vocaberis Arbor:  
 Ergo, Regali dignas ut Virgine cunas  
 Fingeret, artificique pares, Diuina Creatrix;  
 Hinc sibi materiem factis ingentibus aequam,  
 Exemplum ex se petiit; ne longior aetas  
 Vincat opus, serosque intactum sentiat annos.  
 Quin etiam insculpsit docti miracula caeli,  
 Atque habili ornatu pretium rude roboris auxit.  
 Mole super, vario currunt emblemata textu,  
 Argumentum ingens, & inenarrabilis artem  
 Caelatura refert, solito maiora parantem.  
 Illic Isacidum, Vates non inscia rerum,  
 Incidit sobolem, totamque ex ordine gentem,  
 Quotquot Idumeos traxerunt sanguine Reges.  
 Ante alios, teneram Iesse a stirpe Puellam  
 Attollentem animos, quantum demittit ocellos,

Vix

Vixidum purpureas egressam in laminis auras.  
 Illam docta manus, vero sic verius ipso  
 Expressit, lignoque exstantia reddidit ora;  
 Ut vagire putas truncum; similisque sonanti  
 Vox oculos fallat, si cautas falleret aures.  
 Nec procul hinc eadem traductis firmior annis,  
 Templa colit; iamque ad sacrā prece supplicat aram;  
 Ut muto credas in robore semina mentis,  
 Vota nec arboreo, sed vero è pectore nasci.  
 Parte alia niueo per opertos vellere campos,  
 Facta Parens, antrū & pendentibus horrida tophis  
 Saxa colit, stratumque seuero in gramine Natum,  
 Heu pietas! fouet, & lino sub paupere condit.  
 Vidisses, proprio iumenta carentia sensu  
 Hic gerere humanū: & quanquam bis nescia flecti,  
 Quod fera sunt, & sunt quoque lignea; nō tamē vrget  
 Aut ligni rigor, aut genius feritatis abhorret  
 Obsequio tantum; quin aestu cordis anhelo  
 Restaurent Puerum per inhospita tesqua iacentem,  
 Et Caeli vitam foueant spiramine vitae:  
 Tam bene subripiunt vero mendacia famam.  
 Hinc è quadrifidae funesta robore querqus  
 Delicias pendere suas videt anxia Mater;  
 Et pendet simul & pallet tam proxima vero,  
 Sic riget attonitae similis, sic arida torpet;  
 Ut dubites, an, supremum non passa dolorem,  
 Illo induruerit truncō; truncusne vicissim,  
 Ut melius Domini miseretur funera, viuat.  
 Denique quidquid id est, nisi Virgo spirat & ardet;  
 Non est materiae, mibi credite, culpa, sed artis.  
 Illic è terris redeuntem in sidera, quinos  
 Gestantem soles & amica in nube vehentem  
 Prospicit, & Nato comes ire per aëra vellet.

Parte alia comes it, subiecta sequacibus Euris,  
 Dilectaque innixa suo, per mille volantum  
 Agmina Caelituum: toto ruit obvia Caelo  
 Turba ministrantum, Dominamque in sede locatam  
 Excipit, & sacro certatim stemmate cingit.  
 Hoc olim in cunis Sapientia nobile rerum  
 Intidit monumentum, aei praesaga futuri;  
 Atque opere in tanto placuit sibi nobilis auctor  
 Seque excusit agens, atque arte lacestry artem;  
 Ut similis vero non mentiretur imago,  
 Quaeque incisa notat, quondam ventura doceret.  
 At manus Aligerum, supremo ut limite mundi  
 Attigit Euphraten, & Vere tepentia regna;  
 Excipit artifices, caelestia munera, cunas,  
 Metiturque viam, quæ, colles inter Idume,  
 Palmiferos iactat vicina ad sidera foetus.

Hic noua progenies Caelo delapsa supremo  
 Hauserat aethereas Regali è semine luces.  
 Materno tum forte sinu vix orta sedebat  
 Pupula, deliciae Matris; quantum instar in illa est,  
 Qui lepor, & facili veniens quae gratia riuo?  
 Nil gerit humanum, mortali lumine maior  
 Nescio quid praeter solitum caeleste minatur:  
 Siqua homines inter Dea nascitur, o Dea certè?  
 Scintillant oculi, tenuis duo sidera vultus,  
 Frons habet imperium, rutilat pro crinibus aurum,  
 Pro teneris spirant geminata corallia labris,  
 Floridulo nitet ore color, mistimque resultat  
 Parthenice velut alba rosas, velut aureus orbis  
 Cingit ebur, candorque reciprocat arte ruborem.  
 Dixeris, haud alia caelestem degere vitam  
 Sede Pudicitiam, superis cum labituroris;  
 Et colit humanos, Caelo tamen aequa, recessus:

Inte-

Interea Dominam famulatrix turba salutat,  
 Miraturque Auctoris opus, nil tale creantis,  
 Postquam res olim confuso exemit aceruo.  
 Ergo secuturas operosa in munera dextras  
 Expedit, exiguumque in uoluit corpus amictu,  
 Quem Diuina Parenz nascentum ab origine rerum,  
 Neuerat, & magna telam distinxerat arte.  
 Illic sidereas acies, duodenaque signa  
 Circumscripsit acu, crescentem in cornua lunam,  
 Finxit in argento, viridi subtemine terras  
 Induit, & superos adamante coercuit orbes.  
 Vidisses, patrio turmatim cedere Caelo  
 Desertricem animam, comitumque ad terga sequentis  
 Mille globos, turpi squalentia monstra veterno.  
 Nec procul, aethereis meliorum Ductor in armis  
 Insequitur viatos, oculisque ardentibus ira  
 Veniat elatum semper sine vulnere ferrum.  
 Credas, aethereo pugnam increbrescere campo,  
 Partitasque in bella acies, tela obuia telis;  
 Cedentesque loco tenues sine corpore vitas,  
 Et cadere, & factis aequas persoluere paenas:  
 Usque adeò exsultat mentito in stamine verum.  
 At chorus in reditu victor pia colla Tonanti  
 Subiicit, ostentatque fidem, & dicat omnia palmae.  
 Interea tenues Virguncula prodit in auras  
 Parte alia telae; leuis huc exercitus alas  
 Vertit adoranti similis, Dominamque salutat  
 Instauraturam, quas strauerat ipse, ruinas.  
 Hoc igitur velo, zonaque plicatilis auri,  
 Virginis innocuae teneros circumligat artus  
 Obsequiosa manus Superum; leuis ambit amictus  
 Viuentes candoris opes, ceu signifer ordo  
 Astrorum incingit, caelestis fascia, Caelum.

Iam cunas addibbet Gabriel, caelataque cunis.  
 Argumenta operum, fatalibus edita terris  
 Hic Diuam locat, & propria inter facta reponit;  
 Ut neque iam desit muto sua vita labori.  
 Denique candidulis super mycit inuidia membris  
 Lintea, me miserum! mea vix Aurora videri  
 Cooperat, atque oculis primo velut occidit ortu.  
 Ne claudat saltem illa faces, si pectora condit;  
 Neu pereat mihi tota simul; sed & ora quieti  
 Componit Gabriel, somnumque inuitat, amantem  
 Anteuenire preces, ac sponte ad lumina lapsum.  
 En venit, en geminas operit lux aurea gemmas:  
 Nunc verè indormit Caeli concentus & ardor;  
 Nunc consanguineus lethi sopor, asecla vitae est.  
 Audin, ut innocuo spiratur anhelitus ore?  
 Hic certè sonitus, tenuisque hic sibilus auræ  
 Numen habet: iam Musa leues compescere querelas.  
 Sic monet alatus Iuuenum chorus. ò age, cantum  
 Comprime, ne turbet vox importuna soporem.



# VIRGINIS

Ab Angelo salutatae

## EPITHALAMIVM

A N. N. ACAD. PARTH  
dictum.

## CARMEN VII.

**N**ESP E R adest , nec sole minor.  
iām deserit arcem  
Lucis inocciduae, iām diuitis um-  
bra diei  
Vesper inardescit ; superi consur-  
gite Ciues ;  
Linquere iām Caelum, iām diuinos Hymenaeos  
Dicere tempus erit . vos, ò quibus aurea fandi  
Copia, fidereas in carmina soluite voces .  
Iam Gabriel praeuertit iter, Nuptamque salutat  
Castus Hymen, Diuinus Hymen, cui pronubus ardor  
Lege maritali succenditur , ardor amantum .  
Mox aderit Sponsus, cùm primū Nupta loquenii  
Annuerit Iuueni , nec coniugiale pudico  
Flammeolum vultu , taedamque in virgine dextra  
Respuerit, Sponsum verbo confessa Tonantem .  
Quare agite, ò Superi , dum tempestiuus inertem  
Segnitiem claro castigat noctifer igne ;  
Ducite vocales in carmina , ducite neruos .

Audior : immensum video discedere Caelum ,  
Et medium valuis bipatentibns aethera findi ,

Palan-

Palantesque errare globos, operique futuro  
 Succintas acies caelestem ducere pompam.  
 Sponsus adest, viden, ut perniciter exiluere  
 Siderei Proceres, auroque & diuite luxu  
 Collucent, sertisque opmas ardentibus aptant?  
 Iam famulatrices laeta in connubia dextras  
 Expediunt, iam feruet opus; studiosa vagantur  
 Agmina Caelituum: nullo duce libera feruent;  
 Hortator sibi quisque operum, se quisque gubernat;  
 Nec patiens it legis Amor; studiumque placendi  
 Non eget impensis, nisi quae ferat aequa voluptas.  
 Sic Pubes incerta volat, sed certa laborum,  
 Nec temerè confusa volat; sine lege resultat  
 Lex operum tantorum, atque expers ordinis ordo.  
 Usque adeò in medijs erroribus, haud tamen errant.  
 Qualis apes labor & generandi nectaris ardor  
 Exercet, cum Vere nouo per olentia prata  
 Stillatum violis subeunt onus, aut ubi densae  
 Disponunt flauas texto sub vimine celtas;  
 Aureus haud aliter supremo exercitus aruo.  
 Itque reditque frequens, Dominoque laborat amati.

Aliger interea, quem mundi cura fatigat,  
 Aeternosque rotare globos, molemque sequacem;  
 Dat signum Caelo: Coniux venit, o age Pubes,  
 Excipe, si quis amor, venientem, haud plura loquunt  
 Annuit, & famulas comitum manus expedit alas.  
 Ecce autem vebitur per candida compita solis  
 Rex Superum, thalamoque exsurgit coniugus aureo.  
 Quantus in angusto lepor, & quae gratia, vultu?  
 Qui labris afflatur bonos; quae pugna colorum,  
 Aut potius quam certa animat concordia frontem?  
 Qui soles oculorum ardent? vos o mihi soles  
 Este boni, dum tanta audax incendia lustro.

Dici-

Dicite vos vestrasque faces, & luce diserta,  
 (Noctis enim melius) caelestem pingite formam.  
 Illum currus agit, qualem nec Romula tellus  
 Orbe triumphato surgentem in moenia vidi.  
 Nec talem primo de carcere lucis Eoae  
 Sensit in Occiduas Caelum decurrere metas.  
 Scilicet, ut fama est, quoties immobile Numen  
 E Superis molitur iter, terrasque reuisit;  
 Tranquillae ventorum animae, quibus aurea vultu  
 Temperies, adiunt; famulataque colla Tonanti  
 Supponunt faciles, nec agentia fraena recusant.  
 Nunc quoque conueniunt semoto ab limine mundi  
 Aligerae certatim aurae; volat Eurus ab Ortu  
 Mitis, ab Occasu Zephyrus, Mareotida linquit  
 Auster, & Odrysiam Boreas placidissimus Arcton;  
 Omnes clementes animae, Zephyritides omnes.  
 Nam neque nativus vultum fragor, aut furor alas  
 Asperat, aut cogunt equitantem in nubibus imbre.  
 Ipsi, quid sit Amor, venti turba aspera discunt.  
 Nec mora: compositas placido sub pondere pennas  
 Subiiciunt, idem currus, idemque iugales;  
 Aequa fronte iugum rapiunt, & passibus aequis;  
 Non usquam ignari, tantu*m* hoc sibi munere plaudut,  
 Insideat quantus collo Deus. hos Amor alta  
 Sede gubernator regit, & dispensat habenas:  
 Non ille informis, caecoque exemptus aceruo,  
 Idem caecus Amor, chaos indigesta propago;  
 Sed, quem Diuinae geminatus spiritus aurae  
 Vno eodemque tulit partu, fecitque ferendo  
 Spiranti similem Gnato, Patrique gemellum.  
 Ille oculatus Amor, currus auriga volantis  
 Praena regit, ventosque docet parere lupatis.  
 At superi Proceres, factio velut agmine, currum

Obnixi

Obnixi stipant, Dominumque sequuntur euntem.  
 Pars dociles animat lituos, neruosque iinquaces  
 Prouocat ad cantus: est, qui vocale canoro  
 Tangit ebur plectro, digitisque volantibus errat  
 Auratae per colla lyrae: pars aethere summo  
 Pensilis ad numerum choreas ciet, & pede fidens  
 Mobile corpus agit, nunc sese versat in orbem,  
 Turbinis intorti celeres imitata rotatus;  
 Nunc placido motu, placidissima obambulat arte,  
 Intexitque vias, cursuque retexit eodem,  
 Et labyrinthis erroribus aëra signat:  
 Atque aliquis tremulos modulatus corpore saltus,  
 Mille vices iterat, iacit exsultantia membra  
 In sublime, teritque pedem pede, crura supinus  
 Implicat in sese, mox dum redit explicat, idem  
 Et salit & resilit, corpus vibrat & rotat idem.  
 Quis neget alatum? quanquam modò subdidit alas  
 Ingeniosus Amor pedibus, quas daedala quondam  
 Remigio volucres humeris natura locarat.  
 Hos inter plausus, & amicae munera Pubis,  
 Nobile par Iuuenum assurgit, geniumque lacefit,  
 Nescio quid meditans; quos respondere paratos  
 Ad numerum, & dulci vocum certare duello,  
 Instituit Melopoea, sui choralistria Caeli.  
 Nunc tamè & cantu aequiparat & voce Magistræ.  
 Ergo inter se contendere versibus ambo  
 Alternis coepere, decent alterna iugandos.  
 O ego si numeros & mollia verba tenerem  
 Aggrediar tamen; &, memori quae condita seruo  
 Mente, sequar: vos huc animos date, sic prior insit,  
 Inque vicē hic Spōsum, Nuptiae canit alter honorem.

Cernitis? è thalamo Sponsus procedit aucto.  
 Hunc Amor extorrem potuit deducere Caelo,

Et

Et Natum chari complexu auellere Patris,  
Complexu Patris fugientem auellere Natum  
Connubio iungendum, atque optatis Hymenaeis.

Cornitis, ò socij, Nuptam? discedite contra:  
Materno iacet in gremio secura Pudoris.  
At cum flammeolo tanget pede limina Coniux;  
Materno fugiet gremio, nec, ut antè solebat,  
Aversata faces, Sponso iungetur amanti.

Ille genus summū trahit alto à sanguine Diuū,  
Vera Dei Soboles, Patrique simillimus idem.  
Nobilis est Coniux: quid tantum Nupta moraris?  
Annue; si nescis, erit & te Coniuge dignus.

Iacidum genus, & Iesseo è germine virga,  
Virgo nupta viret, proles aequissima Regum.  
Nobilis est Sponsa, ò Coniux: audentior ito,  
Quid tantum subsistis? erit te Coniuge digna.

Nondum confuso discessit ab aère Caelum,  
Nec grauis incubuit librato pondere tellus;  
Immortalis erat, fugitiui temporis expers,  
Felix sorte sua, felicis terminus aeui.

Vixdum suppositas montana cacumina valles  
Calcabant, terraque eruperat agmen aquarum;  
Illa Deo comes immensis in fluctibus ibat,  
Et senior iam tum, pueru ludebat in orbe.

Aureus es Coniux, parest tibi gratia frontis,  
Par decor; haud aetas similem tulit illa priorum.  
Tantum alijs praefat, formae tua gloria; quantum  
Sidereo praefat Titania forma theatro.

Regius est tibi, Nupta, decor, formaque decenti,  
Quot sunt quotq. fuere Heroides haud tibi certant.  
Quantum alijs praefat facibus Latonia, tantum  
Virgineo in coetus species tua deprimit omnes.

Splendet ebur, splendet nativo lumine Titan,  
Et

*Et suus est quondam gemmis honor, & suus auro.  
At tu si formam exponis; tum cetera fordan:  
Pallet ebur, pallet nigra ferrugine Titan,  
Nec suus est gemmis honor usquam, nec suus auro.*

*Candida sunt primam stillantia lilia myrra,  
Dulcè rubet radijs rosa subdita matutinis.  
At tu si luces aperis; color exsultat omnis:  
Lilia nec carent, quamuis stillantia myrrham:  
Et radios bibat illa licet; rosa pallida languet.*

*Aspicis, ut toto collucent sidera Caelo?  
Vt spargunt in nocte diem, plauduntque choreas:  
Quo fugitue ruis? Superum si liqueris axem;  
Sidera diffugient, succendent nubila Caelo.*

*Aspicis, ut maerent hyemali prata veterno?  
Vt glacie torpent segetes? ut inhorruit orbis?  
Heu fuge: si maestas habitaueris incola terras;  
Cedet hyems, vernis succendent floribus arua.*


*Haec illi. at viden, ut Gabriel diuerberat alarum  
Annuit aethereo Regalis nupta Marito:  
Annuit. ipse refert Gabriel. viden, ut celer Euros  
Urget amans Coniux, seseque in limina condit:  
Huc licet usque sequi. quod erat memorabile, dixi:  
Cetera dicet Amor; non omnia possumus omnes.  
Idque audire satis, quod possit plura docere.  
In thalamo Deus est; Coniux in Virgine Virgo.  
Ipsa suo Sponsum vestit de sanguine Nupta,  
Atque adytis cohibet. latet impenetrabile Numen,  
Et fugit ad gremium; nec se cupid ante videri,  
Quam tegat humana Diem sub imagine formam.  
Ite igitur teneri, fugit Hesperus, ite Hymenaei.*

# VIRGINIS

Elisabetham inuisentis

PROPEMPTICON  
A HIERONYMO PLENIO  
Sem. Rom. Conu. dictum.

## CARMEN VIII.



*ARCITE, si quis amor, summis in montibus Hebron  
Exercere leues opera in fabrilia  
dextras.  
Siderei Proceres: aderit iam Regia Virgo.*

*En volat, en celeri calcat iuga proxima gressu.*

*Projcite arma manu: satis est voluisse tributum*

*Moliri Domino. procul, ò procul omina mortis,*

*Quadrifidasque arcete trabes; neu flebilis arbor,*

*Ante diem, miserae moueat fastidia Matri.*

*O ego, cui voces furatur in aëre nimbus!*

*Illi instant operi, dextrasque licentius urgunt,*

*Nec coepio absintunt; nisi cum manus ultima poscit.*

*Scilicet Aligeri, qui nuper ab orbe paterno*

*Deduxere DEV M castae Genitricis in aluum,*

*Postquam, defuncti obsequio coluere Tonantem*

*Virginis inclusum gremio, ad praeludia vitae;*

*Ilicet ad Iudee montana virentia tendunt:*

*Hic ubi palma frequens, & in umbras aëra cedrus*

*Crescit, & in silua nomen Libanitide seruat.*

Ergo

Ergo alacris Pubes, & fatis plena futuris  
 Triste ministerium, & molimina dura laborum  
 Certatim aggreditur dextris: amor omnibus unus  
 Quadrifidam fabricare trabem, monumenta doloris  
 Tristia; quae Domino nascenti ad luminis oras  
 Duleia dona ferant: clausque uncosque trabales,  
 Horrentesque rubos, optata crepundia nato.  
 Instant ardentes Superi; sua quisque tuetur  
 Munera; sed facili tractant opera omnia motu;  
 Assueti immensos versare rotatibus orbes.  
 An graue sit quidquam, quibus est leuis alea, Catil.  
 Nec mora: pars veteres conata bipennibus alnos  
 Excindit: truncos, & adhuc rude robur adaequant  
 Dentati chalybes: argutaque lamina serrae  
 Quatuor in facies, totidemque in cornua quadrat.  
 Pars latera aequa dolat, ferroque politius urget,  
 Artifici ferro, quod longae carcere buxi  
 Clauditur; unde acies mergit quantum ima subiecta  
 Materiem morsu allambat: volat illa frequenti  
 Pulsa ministerio, per & exaequabile dorsum  
 Itque reditque trabis, dum laevia fingat eundo,  
 Aspera quae subeunt, & quae turgentia, ponat.  
 Pars hinc inde trabes, & transuersaria subdit  
 Brachia, & in versum nihil obliquata decussat.  
 Pars maiora parat, totumque emblemata multo  
 Caelat opus: sculpit necis instrumenta futurae,  
 Affigitque cruci tormenta nouissima, quondam  
 Affixura DEV M, pretioque rependit eodem.  
 Hactenus Aligerum Pubes operosa laborat;  
 Nec labor ille tamen, nec cura nisi inscia curat;  
 Caelestesque animas discrimina nulla fatigant.  
 Interea attollunt aequatis viribus ingens  
 Argumentum operis: tum confernata recumbunt

*Ingenua, & tanta Vexilla salutis adorant.*

*Agnouit longè facinus praesaga malorum  
Virgo, suamq. Crucē (quis enim sua vulnera nescit?)  
Ut vidi tamē, ut perīt! suspirat ab imo  
Corde? sed & gemitus, & inertem dissipat auram  
Clausus amor gremio; nec habent suspiria vocem.  
Funderet ex oculis lacrymas? nec repperit imbre,  
Quem pluat; arcani sol pectoris horrida pellit  
Nubila. quid faciat, cui proxima causa doloris?  
Sed dolor omnis abest? quos nō habet, aduocat aestus:  
Et miseram fortuna facit, tristemque voluptas.  
Quod si forte dolet, non est dolor: aegra videri,  
Sed non esse potest; cuius de pectore surgit  
Vena boni, semperque suo se flumine pascit.  
Ut celerat, propriusque Crucis simulacra tuetur;  
Substitit, &, Cui te, dixit, mea vita reseruas?  
Haec tibi funestus parat incunabula mundus?  
Quos ego in amplexus caelestia pignora gesto?  
Cui venit officio sanguis meus? horrida maestae  
Ut pingat monumenta necis? Nec pluribus vsa est.  
Nempe querelarum plura argumenta negabat  
Cordis Amor, nec erat maerendi turbidus auctor.  
Quidquid id est, Nati Patrisque in vota recumbit.*

*Audīt Aligerum manus obsequiosa loquentem  
Pauca; sed attonito meditantem plurima vultu.  
Et videt, & se incusat: iam paenitet artis,  
Et fecisse dolet quod sit tibi, Diua, dolori.  
Tum famulatricem deducit ab aere nubem,  
Inuoluitque Crucem nimbo, truncosque trabales  
Eripit ex oculis, miserae spectacula Matri:  
Et simul ex oculis tristissima cessit imago:  
Urget enim suus intus amor, mentemque serenat.  
At Pubes maestum compensatura laborem,*

Emicat ad Dominae castum latus : ambit euntem  
 Vestigatque frequens ; sed, quāmuis urget alas,  
 Vix tamen assequitur, quam penna vehebat Amoris.  
 Illi seruitio incumbunt : pars strata viarum  
 Aspera mollito subigit mitissima cliuo ;  
 Saxaque, surgentesque rubos, & inhospita vellit  
 Errantum tormenta pedum : pars necare puro  
 Spargit humū ante uolans, & pulueris enecat vndā.  
 Pars florum nimbos, & olentes ingerit herbas  
 Dulce leuamentum pedibus . spirabilis imber  
 Attactu Dominae sibi furaretur odorem,  
 An daret, ambiguum ; certè illo ex tempore crevit  
 Veri maior bonos, & gratia floribus aucta est.  
 Pars librata super pennas, velut agmine facto,  
 Desuper incumbunt, seque in mutua necant  
 Vincula, & ingenti laterum compagine nubem,  
 Sidereum efficiunt nubem ; quae solis ab aeftu  
 Vendicat errantem Auroram, placidaque volantum  
 Alarum vice, pro Zephyris exsuscitat auram.  
 Sic volat in montes, sine me, mea Dia Viatrix.  
 Sed quid ego moror ? Elisabae iam proxima sedes  
 Meta Viatrici patet ultima . quis mea turbat  
 Gaudia ? iam nitidum caput occultare meus Sol  
 Incipit : ensabit, & mibi iam tota occidit, & me  
 Ipsa suo necat occasu . quid cetera dicam ?  
 Nocte premor : taceo. sunt grata silentia nocti.



B. ALOYSII GONZAGAE  
E SOCIE T. I E S V

cum Deo colloquia

O A R I S T Y S  
A PALLANTE GRATIANO  
Acad. Parth. dicta.

C A R M E N I X.



*VIS tibi tam faciles caelestis Dae-  
dalus alas  
Expedit, & mentem format, Gon-  
zaga, volucrem  
Aëra per medium & suus illam spi-  
ritus urget,*

*An Deus? An sua cuique, leuis fit penna, voluptas?  
Quidquid id est, magnū est. sic fama pede sequa Veri  
Nunciat, aethereas animum volitasse per oras  
Saepè tuum, & tenui membrorum carcere lapsum,  
Inuenisse vias ad Iudicis ora Tonantis,  
Atque orasse suam, se tantum interprete, causam.*

*Nox erat, & nigra sopibat imagine terras  
Somnus, curarum domitor, pretiumque laborum.  
Sed non Caeli oculos clausit sopor: aurea circum  
Alta quiescentem, radijs vigilantibus, orbem  
Seruabant, tacito vix connuentia motu.  
Tu quoque, siderei comes agminis, ora trahebas  
Irrequieta Puer; nempè hoc vel nomine sidus*

Nobile terrarum es. nec te sopor altus habebat  
 Qui reliquos sternebat humo ; nisi forte soporem  
 Dixeris hunc, quem fecit Amor, spirabilis hospes  
 Pectoris aeterni, Diuinae filius aurae .  
 Ergo propinquantis violento Numinis oestro  
 Tactus Aloysius, taciturae noctis in umbra ,  
 Indulgere DEO quontiam iuuat. emicat ardens  
 In medium conclave, toro demissus ab alto :  
 Hic positis terrae genibus , manibusque supinis ,  
 Supplicios , animumque gerens in vota lacefit  
 Aurea vota, DEV M . quae tum cum Numine sol  
 Solus agit & taceat oculorum labra loquuntur,  
 Verbaque sunt lacrymae ; donec suspiria rumpunt  
 Cordis iter, ducuntque profundo è carcere voces .  
 O Pater, aiebat, generique simillimus auctor ,  
 Qui potes aequalem tibi fingere ; finge precantem  
 Hanc animam, si parua tuae sum linea vitae .  
 Sum tuus, ô Genitor, neque me mea debita torquent,  
 Quandoquidem debere iuuat . cum foenore soluit,  
 Qui, cum debet, amat ; nec amat qui munera differt.  
 En erit illa dies, quae me tibi reddat amantem ?  
 Nec pudet alterius dici, debere puderet  
 Hoc quantum est animae, nisi tu mibi creditor es .  
 O vtinam te, magne, fruar : patrioque receptus  
 In gremio, claudam momenta nouissima vitae ,  
 Quae plus mortis habet ! Quid adhuc spē tēpore pascis ?  
 Hanc vitam libare sat est : nocet hausta voluptas ,  
 Quae labris admota iuuat. Iam despit humor ,  
 Qui placuit . viden' , ut discrimina mille malorum  
 Circumstant & hinc luxus opum mihi vincula necit  
 Aurea, sed ferro grauiora : hinc dulce venenum ,  
 Aula, sitim facit : hinc genitrix foecunda nocentum  
 Hydra voluptatum, saeuaque nocentior hydra

Ipse

Ipse ego, me sequor, ipse mihi metuendus, & idem  
 Me metuens, idem patior quae vulnera feci :  
 Quanto proximior, tanto violentior hostis.  
 Quid faciam ? qua vi fugiam me me ipse sequentem?   
 Plura locuturum prohibet dolor, ultima luctus  
 Exprimit, & melius lacrymae, quam verba perorat.

Audiret è Caeli secreta parte gementem  
 Diuus Amor ; doluitque, dolor si tangit Amorem.  
 Labitur extemplo, qualis sine nube videri  
 Caelicolis quantusque solet : sed frontis honorem  
 Deposuit, neque enim iubar impenetrabile ferrent  
 Mortales oculi ; visumque retunderet ardor.  
 Sensit Aloysius properantem, & laeta ferentem  
 Argumenta voluptatis ; nec maluit unquam  
 Posse loqui, quam cum melior sententia vocem  
 Poscit, & exstimplat sua se per gaudia pectus.  
 Dicere conantem DEV S occupat : Hoc satis, inquit,  
 Desine plura Puer : satis est voluisse fateri  
 Quidquid est, quod pectus habet : nec numina pectus  
 Nostra latet; Nunc tu, quoniam libet, utere votis.  
 Vix ea, cum liquidum Diuni roris odorem  
 Fundit in obstantes operosa aspergine vultus:  
 Inque oculos & in ora liquat; dein' ventilat alis  
 Inspiratque auram, leuiorum obliuia rerum  
 Aspergentem animo, melioraque sensa mouentem .  
 Nec mora, iam tenuis membrorum obstatula rupit  
 Spiritus; & molem, qua tardius ire solebat ,  
 Linquit humi simplex, & iam sine corpore vita ;  
 Ipse suas illi pennas Amor, ipse volatum  
 Expedit, ipse pari moderamine librat euntem ,  
 Expenditque fugam, ne parte laboret iniqua :  
 Mox propria grauitate leuis sine remige penna  
 Carpit iter mentemque tuam, Gonzaga, volantem

Dicit in asperi secreta per atria Caeli.  
 Ille quidem super asperas securus in ambulat oras:  
 At corpus sine mente iacet, non labra gubernat  
 Halitus ad vocem, iam torpet anhelitus oris,  
 In venis iam sanguis hebet, non palpitat imum  
 Pectus, & in media, cor, pectoris arce quiescit.  
 Lumina fixa patent, stant tegmina nescia flecti,  
 Immotumque supercilium, ferale cadauer  
 Dixisses, nisi quod vitam sapit oris honestas.  
 Nescio quid spirat, vitae sine munere, vultus.  
 Aut si non spirat; sperat tamen, aestuat, ardet,  
 Sollicitatur, amat, gaudet, dolet; omnis in uno  
 Statque, caditque color, seque reciprocata aefus.  
 Usque adeo vultum, quamuis sit dissipata longè,  
 Mens animat; nec in ore negat, quid tractet in astris.  
 Cetera quid memorem? non est mortale, quod optas  
 Musa redordiri; prohibent adamantina Caeli  
 Vela, Tonantis opes, Superumque arcana videri.  
 Sic sumus infelix hominum genus! astra tuemur  
 A tergo, faciemque negat mortalibus ardor:  
 Extimus inuitat visum decor, intimus arcet:  
 Multa licet sint astra, inopes nos copia fingit;  
 Nec faciunt homines, vel sidera mille, beatos.  
 Ergo, sidereis quid mens agitarit in oris,  
 Explorare nefas. Amor illi in sidere Ductor.  
 Hoc audire satis; tu cetera conyce ab uno.  
 Aut, si tanta sitis rerum cognoscere causas;  
 Consule caelestem, si nosti, consule Amorem.

B. ALOYSII GONZAGAE  
E SOCIE T. I E S V

Voluntaria pro CHRISTI amore supplicia

S O T E R I A  
A BALTHASSARE CITTADELLIO  
Sem. Rom. Conu. dicta.

C A R M E N X.



*Amor, ò viuax hominum, diuumque  
voluptas,  
Quis te carnificem meliorum fecit  
amantum?  
Sensit Aloysius tua vulnera, Diue  
repertor*

*Paenarum, tenerique satellitis aurea tela  
Sentiit adhuc antiqua, insixaque pectore seruat.  
Tu mihi, seu faciles, Diuine sagittifer, arcus  
In Caelum exerceces, seu vibras spicula terris;  
Oades, ò bonus, & vultu ne despice vatem  
Facta renarrantem tua, sed non versibus aequis.  
En signum, quò tela vibres. mihi denique centum  
Grandia nunc vellem, totidem cum vocibus, ora:  
Sed vellem, quae tu feriendo feceris, ora:  
Et linguae centum non sint nisi vulnera centum.*

*Vix bene traductis ratione carentibus annis,  
Coepit Aloysius viuendo agnoscere vitam:  
Cum medias pius inter opes, interque frequentum*

Blandimenta voluptatum, castissima dixit  
 Vota DEO, mētemque animumque dicauit Amori.  
 Vedit Amor, risique: & praeda diuite laetus,  
 Accipio te, Nato, inquit; tu foedera faxis  
 Intemerata sient: meus es, Puer optime; neute  
 Subtrahat aut aetas aut mens incerta futuri,  
 Mox adero defensor. at haec tibi nuncia mitto  
 Dona prius. dixit, subitoque volubile telum  
 Intorsit pius. it cuspis potura cruento  
 Ad Pueri venas, & vulnere pectus acerbat.  
 Forte soporis inops tacitura per otia noctis  
 Stabat Aloysius, Numenque in vota vocabat,  
 Tendebatque manus, infringebatque ferendo,  
 Nuda nudus humo, brumae intractabilis iras.  
 Cum subito aeterni iubar insuperabile Solis  
 In media fert nocte diem; procul alite penna  
 It nigror, & liquido conclave rubescit in auro.  
 Sensit Aloysius venientem: nam quis Amorem  
 Dissimulet, tanti nec sentiat hospitis ignes?  
 Quisquis is est, sine sensu, & vix spirabile saxum est:  
 Venit Amor: sed prob' quantum mutatus ab illo,  
 Plurima cui teneram tranquillat gratia frontem;  
 Qui Superos nutu beat, impenetrabile Numen!  
 Regia non illum vndanti chlamys ambit amictu,  
 Non aurum, non gemma notat; non sutile Caelum  
 Intextusque aer, & vela thalassina conuicit.  
 Sed toga, quam liquidus cinis olim pinxerat, at nunc  
 Ipse etiam se se cinis hic extinxit, & anceps  
 Profuco rigor, incertusque subalbicat horror.  
 Quid referam incomptos, per liuida tempora, crines?  
 Quid faciem incultam? quid nuda coloribus ora,  
 Tabentesque oculos, & lumina nescia lucis,  
 Neglectumque supercilium? quis credat Amorem?

Et

Ettamen est Amor, & lacera sub veste triumphat.  
Ille quidem posuit, quem dudum gesserat, arcum;  
Sed fecit noua tela, nouas se vertit in artes.  
Texuit artifici primum discrimine telas,  
Horrentes telas, & equinis aspera setis  
Cingula, Cyniphysque attonsa cilicia villis.  
Praeterea quinos nodo sociauit eodem  
Funiculos, iunctisque caput dedit omnibus unum.  
A capite absoltuit nexum; iussitque wagari  
Pronius, & sparsim liberrima serpere fila.  
At fibrarum oras, supremaeque agmina caudae  
Implicuit nodis, & textu duplice sepfit;  
Nobile supplicium, tempestatemque nocentum  
Terga flagellantem, scelerumque ultricia tela.  
Nec satis: alipedes laxantia lora Moloſos  
Attulit expedienda; catenatisque rigentem  
Orbiculis chalybem, ferri que plicatile pondus,  
Heu quam diuersos quaeſitum pondus in uſus!  
Quin etiam aeratis calcaria ſentibus aspra  
Subdidit, & Puer tulit irritamen equorum.  
Circulus est, ferro media plus parte, politus.  
At, qua parte chalybs defecit, babenula ferro  
Loreas succedit, complexaque perficit orbem.  
Ferreus hinc ſtimulus, ſtimulique minutula cuspis  
Plurima ſe prodit, formatque volubile ſidus  
Circuitu radiorum, & acuminat ictibus oras,  
Clauiculisque armat, tormentum immane ferarum.  
Hacc Amor, abiectis, fera ferramenta, sagittis,  
Durus Amor tulit, & Puer tractanda reliquit  
Saeua ministeria, & rigidi compendia fati.  
Tum ſic aggreditur, verbisque inspirat Amorem.

O Puer, o generis iuſtissima gloria nostri,  
Quem mibi purpureas naſcentem ad luminis auras

Mit-

Millibus è multis colui , propriumque dicauit ;  
 Indue magnanimum , sanguis meus , indue pectus .  
 Non te pigra quies , & desidis otia vitae ,  
 Crede , iuuant ; duras labor impendendus in artes .  
 En ego durus Amor , sed pluma laeuior idem :  
 Cum rigidis idem mollis , cum mollibus asper .  
 Si meus esse velis ; ne te blandissima Syren ,  
 Saga tyrannorum , regali excantet in ostro .  
 Quid tibi cum luxu , quem diues inaurat Idaspest ?  
 Ne gemmis inbia , nisi quas de sanguine pinguis  
 Ipse tuo ; fode membra , feri praecordia ferro ;  
 Hic gemmas scrutare , fluent è pectore gemmae .  
 Non alio seu vendit Amor seu venditur auro .  
 Quare age : quae cernis rigidae saeuissima caedis  
 Instrumenta , tui veniunt sitibunda liquoris .  
 Pasce sitim ; flagris discerpe frequentibus artus ,  
 Te pete , rumpere sinum , lacera latus , utere dextra :  
 O quem te memorem , si tinctum sanguine cernam  
 Aequantem paruis , ingentia vulnera , membris !  
 Durus eris , cum blandus eris . tu funde cruorem  
 Si sapis ; irriguo placet empta cruore voluptas .  
 Aspice me similem quem tu tibi fingis : & eßes  
 O vtinam I viden' hanc pallentem funere frontem ,  
 Hos oculos , haec ora rigentibus horrida malis ,  
 Aspersaque cicatrices ? DEVS ille leporum ,  
 Ille DEVS , Superumq. hominumq. aeterna potestas ,  
 Os habitumque reo similis vagor : & tua tanti  
 Sit tibi forma , Puer , tua viscera sint tibi cordi ?  
 Exemplo te finge meo . quae vulnera fecit ,  
 Haec curabit Amor : nam quae ferit hasta , medetur .  
 O ego cùm teneri fistam tibi sanguinis undam :  
 Cum manus haec ingens , animorum Dia creatrix  
 Immemori lympha , Caelique potentibus herbis

Leniet

Leniet infractos artus, lacerataque ferro  
 Offa super, liquidum Ambrosiae diffundet odorem;  
 Quam tibi tam velles ingentia crescere membra  
 Vulneribus; tam dulcis erit medicina dolori.  
 Ergo age, macte animis Puer, & virtute recenti:  
 Innocui quantum per dira flagell'a cruoris  
 Persolues, tantum tibi Numintis ipse rependam.  
 Ofelix mercator, emas si sanguine Numen!  
 En ego sum, mihi crede. Ea verba nouissima dixit:  
 Cum se, qualis erat, facie confessus; inertes  
 Protrinus exuñas, & non sua subtrahit ora,  
 Aspectuque patet Diuum genus, aurea frontis  
 Gratia, tranquilli species argentea vultus,  
 Gemmeus ex oculis lepor emicat; est coma solis.  
 O ego sum caecus, qui pingere conor Amorem!  
 Idque audire satis, Amor est; nam cetera sordent.  
 Ille ubi complexus Puerum DEVS, oscula centum.  
 Liquit Aloysio, seque inspirauit abunde;  
 In Caelum paribus se sustulit impiger alis.  
 Quae tibi nunc vires, quae ventilat aura serenum?  
 Pectus, magne Puer? sentis placidissime, sentis,  
 Quantus in amplexu steterit DEVS? otia rumpit  
 Flamma, penetrates animi populata medullas,  
 Ardentesque micant voces in verba, priusquam  
 Exsiliant in facta manus. Quid in aethera, dixit,  
 Hoc quoque crudelis, vix cognita subripis ora,  
 O Amor? o redeas! aut te mihi redde volentem,  
 Aut tibi me: viuam modò tecum, praestat utrumque.  
 Interea ingentem solabor caede dolorem,  
 Dum redditurus abes: scribam tibi pectoris ignes  
 Saepè mei, lacrymasque, & vota vicaria cordis  
 Sed tibi quae veniet, scribetur epistola ductu  
 Sanguinis; ille notas liquor exprimit unus Amoris.

En

En stylus : ò fortis generosa crepundia dextræ !  
 Quæ mihi fecit Amor puer, puerilia dona ,  
 Instrumenta voluptatis, non arma furoris ;  
 Accipite hos, si casta rogo, si digna rependo ,  
 Sanguineos latices ; aut, si fortuna iuuabit ;  
 Accipite hæc animam, Dominoque adducite vestro .  
 Dixit, & ad pectora ter flagra minacia duxit ,  
 Aurea ter rigidis admouit labra catenis ,  
 Osculaque impressit ; quibus emollita, rigorem  
 Vis chalybum posuisset, inexhaustamque futurae  
 Caedis auaritiem : Sed inexorabile finxit ,  
 Finxit Amor tiūm forte, ad sensa tenerrima, ferrum .  
 Nec mora : iam surgit penetrabile pectus in iras ,  
 Iam nouus ardor agit ; libet attentare doloris  
 Prima rudimenta, & facili pro ludere pugna .  
 Iam ferrum, iam lora manu trepidantia tractat ,  
 Iam dextram attollit, iam fulminat impiger ictus ,  
 Nox, quæ caeruleo complectetris omnia gyro ,  
 Sola theatralis spectatrix liuida facti ;  
 Tu tenebris permitte tuis accedere lucem ,  
 Siquam caeca valent accendere carmina lucem ,  
 Quæ rapiat rigidae nigris è fauicibus umbrae  
 Tantum opus, & tenues ad luminis euehat oras .

Nitebatur humi Gonzaga, & poplite flexo  
 Supplicis in morem, medium conclave tenebat .  
 Hic ergo tenebris, & munere noctis opacæ  
 Vtitur, ut caecos in se exerceat ictus .  
 Non sic praecipitant immista grandine nimbi  
 Aggeribus super Alpinis, cùm plumbeus Auster  
 Excudit undanti glomeratas turbine nubes ;  
 Ut fera tempestas flagrorum, ut ferreus imber  
 Verberat ingenuos repetitis ictibus artus .  
 Ille quidem Puer est, sed non pueriliter audet .

Sinegat indocilis rerum & certaminis aetas. B  
 Suppeditat contrà iuuenilia pondera Virtus.  
 Membra vides Pueri, sed verbera crede Gigantis -  
 Est pietas, non esse pius; sine fulmine nullum  
 Crebrescit tonitru, nullum sine caede flagellum,  
 Ingeminat crebros ictus, duplicataque densat  
 Vulnera vulneribus, ferit acriter, arduus instat,  
 Attollitque animos, dum pronā ad verbera dextram  
 Deprimit; incendunt, sed non sua, crimina vires:  
 Ipsa etiam, quae semper iners, quae candida semper  
 Erubuit nunquam, rigidamque exarsit in iram,  
 Virginitas nunc saeva furit; nunc arma ministrat,  
 Hortaturque manum verset, figatque, refigatque,  
 Et premat, ut cupido vindemia crescat Amori.  
 Tantane tām paruum cohibent incendia pectus,  
 Ut tot in exiguis quaerant spiracula membris?  
 Nec subitus cruor effosso se corpore prodit;  
 Nempe diu dubitat, quo primum è vulnere currat;  
 Tot videt, unde fluat, spirabilis ostia sanguis.  
 It roseus tamen, & totis se denique venis  
 Vndique, qua data porta, ruit, puroque colorum  
 Lumine pingit humū, corpusque exsāgue relinquit.  
 Iam similis lapsanti, animamque in fata trahenti  
 Nutat Aloysius, colloque recumbit in armos  
 Semianimis, proprioq. in sanguine membra volutat.  
 Fugissetque omnis laceratos spiritus artus;  
 Sed prohibet Diuinus Amor; serisque reseruat  
 Ad noua bella, nouas paenas, noua vulnera, uitam.  
 O Amor! & quis carnificem te fecit Amantum?



B. A LOYSIVS GONZAGA

A Parente ingressum in Societ. IESV  
imperat

P R O S E V T I C O N

A CHRISTOPHORO FERRETTO

Sem. Rom. Conu. dictum.

C A R M E N X I.



*I S T E, quid immeritos in tantum  
percutis artus,  
Et tecum me, Diue, feris? ab: si qua  
tuorum  
Cura subit (neque enim tua te so-  
latia tangunt)*

*Proijce flagra manu, Regum genus, exue dextram  
Fulmine, quae Pietas, in membra tenerrima ferrum  
Vertere, & innocuo bellum importare crux?  
Candidus est tuus iste crux, neque nigra meretur  
Supplicia: argento nubibusque simillimus albet,  
Et plus lactis habet quam sanguinis, aureus humor:  
Dure nimis Puer, ab tantum ne crede colori:  
Irriguus liquor, immitti quem vulnere poscis;  
Sit roseus licet, & rubicundo purpuret ostro;  
Non est ille crux, sed copia virginis undae;  
Sed Caeli liquor, & stillati succus Amoris:  
Aut si forte crux: crux est, quem Lilia sudant.  
O ego, qui surdas cassa prece demoror aures!  
Ille catenato furit in sua terga flagello*

-YOIA. 2

Cre-

Crebrius, & strepitu repetiti fulminis umbrat  
 Non exauditas, per saeva tonitrua, voces,  
 Seque simul lacerat, simul & mea vota cruentat.

Iam Puer in dociles Gonzaga peregerat annos,  
 Vestibulum aetatis: propiusque euaserat aeu*i*  
 Prima rudimenta, & tenerae confinia vitae:  
 Cum patrias exosus opes, & nomina Regum,  
 Impleuit Caelum votis, seque obtulit vtrō  
 Deserturum artes, & luxum mobilis Aulae  
 Spemq. metumq. omnē, nisi Numinis; impiger ex quo  
 Concepit sensus in IESV nomen ituros,  
 Diuite contentus Caelo, sub paupere tecto.  
 Sed prohibet Genitoris amor, nil tale ferentis,  
 Et precibus claudentis iter, ne pectoris arcem  
 Expugnent, cedatque pio victoria Nato.  
 Saepè rogaturum aurus Pater arcet Ephebum,  
 Auferoque inhibet vultu, nec, ut ante solebat,  
 Excipit amplexu venientem, & multa precantem;  
 Sed magis increpitat: naturae viscera seruat,  
 Artis habet frontem: quam non gerit, euocat iram  
 Nube supercilij; labor est, simulare nocentem  
 In causa pietatis; Amor, nisi durus acescat  
 Inque odia, inque ignes, & Amoris nomina perdat;  
 Donec Amor dicetur, erit; phalerasque furoris  
 Si forte induerit, potius formabit amantem  
 Ipse iram, quam saeva ipsum probet ira furentem.  
 Non aliter, cum tranquillae fera nubila fronti  
 Induit, & Nato Pater implacabilis ardet;  
 Non est ira sui iuris, sed seruit Amori  
 In Genitore furor; vultumque precarius implet,  
 Immiscetque minas: quo non magis acre venenum,  
 Ut desiderijs vellat puerilibus alas.  
 Saepè etiam se prodit Amor, nec abutitur ira;

Sed

Sed sine nube tonat, proprio se Marie fatetur;  
 Delicias, sua tela, rotat, Natoque Parentem,  
 Nobile par pugilum committit, & aurea promit  
 Spicula verborum, lacrymasque, & mollia frontis  
 Blandimenta mouet, vel & oscula saeuus obarmat;  
 Nempe quibus Genitor pugnat, miscetque seueris  
 Dulcia, promissisque minas; modò grandia Nati  
 Vota in stirpe necet, ne Caelo proxima crescant.  
 Nec Puer expauit patrias variabilis artes,  
 Aut emota loco cessit sententia mentis:  
 Perstat adhuc meliore gradu; ceu filia Ponti  
 Rupes fixa mari, quae, vulnus semper eodem,  
 Oceani Patris aut furiales sustinet undas,  
 Aut arridentes pellaci aspergine plausus.  
 Sed, sua non patitur differri gaudia pectus;  
 Et male nutritur, qui tempore pascitur, ardor;  
 Seque absunit Amor, nisi quam petit inuenit escam.  
 Ecquando, aiebat, sit meta nouissima votis?  
 Semper inhaerendum salebris? via libera nunquam  
 Memet aberrantem terrestribus inuehat astris?  
 O vitam, ò rerum illecebras, ò prodiga Regni  
 Sidera, fallacemque meis natalibus Aulam!  
 Ergone, quod viuo genitalibus editus auris  
 Primitiae generis, fraternaque tempora vitae  
 Nascendi auspicio praeuerti & praecoce partu;  
 Idcirco leuiora mibi patrimonia cedant?  
 Si scelus est, vixisse prius; non metiar annos  
 In vitae censu, qui me fecere nocentem.  
 Sin culpa natale vacat, quo crimine plector,  
 Dum, praeiudicio vitae, mihi vita negatur?  
 At me sceptr'a manent esto, neque Regna, sed umbras  
 Odi Regnorum: Caelo mea iura locantur,  
 Quid mibi terra datur? non est aquabile pondus,  
 Et

Et cinere exiguo male compensatur Olympus.  
 Haec mea pars: si lege feror primarius heres;  
 Cur non heredi datur optio prima bonorum?  
 At mihi tam fixum mentis edet, ire per omnes  
 Artis opes, felix modo rideat alea coeptis;  
 Et, terrae iactu, eadat in mea commoda Caelum.  
 Vincere si nequeo Genitorem; sidera flectam:  
 Et sortem, qua pellor, emam; nisi debita cedat.  
 Est hic, est animae plenus liquor; & mihi venas  
 Sanguis habet, nec amore minus quam feruidus annis.  
 Hunc ego profundam, & Patri sua munera reddam.  
 Quandoquidem, sint dona licet, stant charius aequo;  
 Forstan & patrius rigor emollescere possit,  
 Si calido tantum soluat mihi sanguine paenas.  
 Patrem saepè pium facit inclemensia nati:  
 Neo meliore adamas emitur seu frangitur astu.  
 Vix ea, cum saltu micat in conclave reductum  
 Arduus, arcanaeque domus adyta ultima lustrat.  
 Hic procul à turba, strepituque volubilis aulae,  
 Solus, & in solis penetralibus, armat inertem,  
 In sua damna, manum: libet indulgere feroci  
 Paenarum genio, clausaque in pectore curas  
 Demere supplicijs: neque enim meliora doloris  
 Lenimenta videt, quam quae dolor ipse ministrat.  
 Nec mora, felicem tanto sub pondere terram  
 Apprimat & genuum subnixus mole recumbit.  
 Inde leues humeros, & terga niualia nudat,  
 Dulcè ferox, chlamydemque, et satile cycladis aurum  
 Dum rapit; Ite procul, quid spes in uoluitis? inquit,  
 Tristes exauiae, vinctique miserrima luxus  
 Ite procul spolia; ipse mihi viuacia texam  
 Velamenta, meoque tegam me sanguinis ostro.  
 Dixit, & attollit furibandum fulmine dextram.

Fulmen erat, rigidi chalybes, & flexible ferrum  
 In gyros, tenuesque implexis orbibus orbes;  
 Vnde aperit se cuspis atrox, & abeneus uncus  
 Multiplici praefixus acu; ferale flagellum  
 Pectoris humani, sed opus fabricantis Amoris;  
 Seque operi, liquefactaque gaudia miscuit auctor.  
 Exoritur bellum, cui Mars non viderit aequum.  
 Ipse sibi mouet arma pugil, sibi detonat idem:  
 Qui petit hic petitur, nec ab hoste reciprocus hostis  
 Discrepat: est idem dator acceptorque malorum;  
 Idem se cruciat, nec abest victoria victo:  
 Atque inferre necem, capere est; & vincere, vinci.  
 Quid memorem crebros ictus, replicataque dorso  
 Verbera? quid sparsos miseris vibicibus artus,  
 Inflictasque cicatrices? iam corporis unum  
 Vulnus erat, coepitque neci decrescere dorsum.  
 At paenis Gonzaga inhians, magis inde resurgit,  
 Vnde perit, viresque animi dum dissipat, auget:  
 Et quoniam, cui vibret adhuc noua fulmina, corpus  
 Non habet; ipsa graui iam vulnera caede flagellat.  
 It roseus late sanguis, pingitque decoro  
 Imbre pavimentum, rubefactaque membra colorat.  
 Fugit ab innocuo nativus corpore candor,  
 Purpura sola viget; credo, ad spectacula caedis,  
 Erubuere niues, & ebur quoque sanguine plorat.  
 Denique non alio meliora rosaria campo  
 Diuinus sibi querat Amor: nam sidera cedunt.  
 Vedit ab aethereo spectatrix turba theatro  
 Sanguinis irrigui fluuios, doluitque, pyropos  
 Ire liquecentes, & hiantibus undique venis,  
 Desfluere ad terram, stillata corallia Caelo.  
 Huc volat, & sparsos, diuertia chara, liquores  
 Hisque atque inde legit: laceros pars recreat artus,

Oraque

Draque vulneribus, patefactaque labra reducit :  
 Pars liquidos densat latices fusumque cruentem  
 Congelat; utque liquor rutilū concrescat in aurum;  
 Auroraē succos, & viua coagula Solis  
 Infundit, roseumque gelu interfidera portat.  
 Astra dedere locum, puduitque a sanguine vinci.  
 Ab alij partem liquefacti roris in urnam  
 Corripiunt, rigidique volant ante ora Parentis.  
 Forte soporato ducebat pectore somnos  
 Arcana procul aede Parens; quem sedulus Ales  
 Protinus aggreditur; media inter viscera dextram  
 Coniicit, eductumque ima cor ab arce profundi  
 Pectoris, immergit calido ter sanguine Nati,  
 Mollitumque diu, propria in statione reponit.  
 Excusit somnos Patri liquor. ilicet ardet,  
 Exercetque pios in Nati commoda sensus;  
 Quem subito votis, & nomine donat I E S V.



B. A LOYSIUS GONZAGA  
E S O C I E T. I E S V

Victor incendiorum, & fluminum,  
Dénique in obeundis Christianae Chari-  
tatis officijs à Morte superatur.

E P I C E D I V M  
A HIERON Y MO VERO SPIO  
dictum.

C A R M E N X I I .



ON ego, mortales traduceretim.  
poris annos,  
Crediderim, aut veterum commu-  
nilege parentum,  
Viuere Aloysium. Pueronam vita  
superstes

Saepè reluctantis per mille pericula lethi,  
Ostendit, saeuis imperuia pectora fatis  
Gestare, & patrio maiores funere vires.

Immortalis erat, nisi tempestiuus honorem  
Inuidisset Amor, qui, non temerata trahentem  
Secula, furtiuae voluit succumbere Morti.  
Nec se praeterea iactabit vulnere quisquam,  
Diue, tuo; quanquam tibi Mulciber ignea gescit  
Praelia, & iratas armarunt flumina lymphas.

Fortè vobebatur patrīs peregrinus ab oris

Quadrijugo Puer in curru ; id mihiāque ritato  
 Longius à tergo fugientia liquebat arua .  
 Ecce tibi, ante alias, in subribus orbita campis  
 Intulit errantem, quā formosissimus undas  
 Eridano Ticinus ulit, Regique superbo  
 Nobile curnentam ducit vestigia aquarum .  
 Imbre graues humeros, & non tractabile dorsum  
 Extulerat fluminis, solitoque tumentior aestu  
 Alta coērebat spumantibus agmina labris ,  
 Montanae nivis, & liquefactam velleris vidi  
 Canitem, teneraque, gelu soluente, ruinas .  
 Has inter tumidi stagnantes fluminis iras ,  
 Lora gubernator subter laxata iugales  
 Exhortatur equos ; illi, velut obīce rupto ,  
 In medias rapiuntur aquas ; tum naufragus axis  
 Scinditur, & tota luxatus mole fatiscit .  
 Proram, quae vincis implexa tenacibus haeret ,  
 Quadrupedum rapit amne fides , & littore donas .  
 At viduum latus, & tenuis sine remige puppis  
 Voluitur in praeeeps, & flumine ducta secundo ,  
 Vorticibus fertur rapidis, simul ipsa morantem  
 Gonzagam (beu pietas !) in fata miserrima portat,  
 Iamque propinquabat letbo ; cum fraxinus ingens  
 Praecipiti delapsa vado, super astigit undas .  
 Illam vel filius populator abegerit imber ,  
 Vel Superum pietas; incerta est gratia facti .  
 Ceu Puerum amplexura sinu , frondentia pandit  
 Brachia, ramorumque moras, vicosque virentes ,  
 Et centum veluti manibus tenet obvia currum .  
 Dixeris, aut sensu truncum placidoque potentem  
 Ingenio ; aut sensum obsequio vitamque mereri .  
 Usque adeò, Gonzaga, necem & mortalia ludis  
 Specula, sic Superis tua fiat custodia curae .

Nec minus interea crudeli ex igne triumphum  
 Egit Aloysius, quam saevas vicerit undas.  
 Integer ardantis per iniqua volumina flammæ  
 Constitit, & caecum densa sub nube vaporem  
 Intrepidus, lateque undantia fata repressit.  
 Nox erat, & media plus parte peregerat orbem,  
 Instratoque Puer pia membra locauerat auro.  
 Olli cum subit, immunem, oblitumque precandi  
 Numinis effluxisse diem, nec ritè solutum  
 Vectigal Domino, cui se deuouerat olim.  
 Ilicet excusbit somnum dolor: Ipsa reponant,  
 Quae meruere, inquit, iustas obliuia paenas.  
 Vix ea, cum lychnos, alimentaque candida lucis  
 Exposcit, reddique diem qui debita soluat.  
 Iamque DEO pius indulget, iam mente tributum  
 Exequitur, quod voce praeit; cum rursus inundat  
 Lenè quiescentes sopor irreuocabilis artus,  
 Perque oculos impunè vagus, per & ora iacentis  
 Spargitur, atque animi iam victor obambulat areæ.  
 Interea liquidæ nutritimæ lacæta flammæ  
 Deficiunt, iam cera teres decrescit ab aestu,  
 Tabescuntque niues Apium, & sua viscera pastus  
 Ardor, in externam furit insatiabilis escam.  
 Nec mora, corripiunt subiecta cubilia pestem:  
 Atque ubi teda fuit, iam nunc incendia surgunt;  
 Quoque magis victor vestigia promouet ignis,  
 Auget opes magis inde suas, & crescit eundo.  
 Iamque adeò Fueri latus insuperabile turbo  
 Flammeus aggreditur, iam pectora proximus audit  
 Lambere; cum subitis perculta timoribus horret  
 Flamma vorax, reprimitq. gradum, valloq. vaporū  
 Sese arcet vapor, & Puerum rogus ipse tuetur,  
 Qui petit: obsequio permutat vota nocendi,

Fitque

Fitque pius : sacris iam vellet inurere plantis  
 Oscula ; sed culpam nimiae feritatis , & irae ,  
 Ipsa luit pietas ; ut ferre nec oscula possit ,  
 Vulnera qui voluit ; nam sponte retorquet inultam  
 In se se rabiem vis ignea , seque resorbet ,  
 Et medio quamuis in somite , deficit aestus .  
 Tantum adeo niuibus cessit pueribus ardor ,  
 Et nudum , rigidoque grauatum lumina somno  
 Fugit Aloysium ; quid , si vigilemque , suisque  
 Armatum telis , inferuida bella vocasset ?  
 Hanc ego , quae votis ardentibus , ante Sepulcrum ,  
 Diue , tibi semper famularis flamma perennat ;  
 Crediderim aeternum , deuictio ex igne , trophaeum .  
 Viderat intrepidum per tanta pericula pectus  
 Inuida mors ; & nacta metendi staminis horam ,  
 Extimuit , ne frustra uidum distingeret ensem ,  
 Et sibi vel nigrae , foret irrita pugna pudori .  
 Inueniam secura mibi certamina , dixit :  
 Et quoniam in terris nihil est , quo vincere possim ;  
 Infera si nequeo , caelestia tela mouebo .  
 Haec simul inquit , opem simul implorauit Amoris .  
 Annuit oranti , promissisque addidit omen ,  
 Utorem se fassus Amor ; nec plura moratus  
 (Sensit enim vietricem animam , maioraque fatis  
 Pectora , & inuidit , ne quis se fortior auras  
 Carperet , vtique necis , sic & sua frangeret arma )  
 Artibus utendum est (inquit ) quis in hoste requirat  
 Aut in Amore , dolus vincat ne an praelia virtus ?  
 Vix ea , cum volucres e Caelo liberat alas ,  
 Secum multa mouens , & plenus sorte futura ,  
 Occupat Ausonios lepidissimus incola colles .  
 Tempore forte illo trepidos miseranda Quirites  
 Fata cruentabant , & nullo fine laborum

Per campos graffata lues, Cererisque malignae  
 Turpis auaritia, & segetum decocta supellec  
 Multa Latinorum sternebant corpora letho.  
 Vidisses, hominum viua sub imagine, Mortem  
 Umbrasque, & tenues, vix ullo corpore, vitas  
 Ire per attonitam, miseris pro ciuibus, Urbem.  
 Publica quin etiam longo conclauia tecto  
 Foeta malis, Roma iam deficiente labori  
 Curantum vitia, & turpi sub Morte cadentum.  
 Hoc de legit Amor bello fraudique theatrum.  
 Nec mora, Aloysium stimulis ardentibus urget  
 Triste ministerium moliri atque aegra leuare  
 Corpora, praesentique iacentibus arte mederi.  
 Ipse aecò illustres oculos, & nobile frontis  
 Imperium obnubit; caecum quis nescit Amorem?  
 Non illi ambrosijs coma mollis odoribus balat,  
 Non rubor in vultu candorque reciprocus errat,  
 Non labris sua forma, neque est sua gratia formata:  
 Fit miser, inque aegrum mutato vertitur ore,  
 Omnia languenti similis, faciemque, coloreque,  
 Atque oculos, sensim vicina in morte natantes.  
 Squalida pannojo male pectora condit amictu,  
 Nudus, inops, lacerique cadaueris argumentum.  
 Et tamen haec subter spolia, & miserabile corpus,  
 Exsultat (quis credat?) Amor: tegit aureus ora  
 Indeprensa alijs, seque inter nubila condit  
 Lurida, Sol hominum; sed & inter nubila lucet:  
 Sordibus horrebit; sed habent sua praemia sordes:  
 Est pallor, qui membra notat; sed pallor Amoris.  
 Ergo agit, & coetus miserorum, horrentiaque inter  
 Agmina, quaerit opem, simulatque in pectore clade.  
 Incidit hic (ut forte per atria Mortis oberrans  
 Feruet Aloysius) pretiosaque praeda paratos

Inci-

Incidit in casses . ut primum pallida membra ,  
 Et dubium caput , & vergentem in funere vitam  
 Prospicit ; Huc , inquit , me me bonus allicit horror .  
 Ab pereat , quisquis fatum timet ; una , salutem  
 Desperare , salus ; Mors euitata fugaci ,  
 Poplitibus gaudet timidoque insistere tergo .  
 Quanquam ò si redditum caelestis in atria Regis ,  
 Pestis atrox , sed chara meo medicina dolori ,  
 Acceleret ; liceatque tamen , n̄j tale merenti ,  
 Pulchram venari , per foeda cadavera , Mortem !  
 Omibi felices , si quos ea cura labores  
 Afferat ! ò sordes , quibus insudare decorum est !  
 Haec ait , & dicto citius languentia condit  
 Membra sinu , latus opem , & solatia vitae ;  
 Nec , cui tanta ferat vitae solatia , nouit .  
 Si tamen exploret sua gaudia , nescire possit :  
 Sic animus sese intus agit ; sentitque , medullis  
 Nescio quas praeter solitum dulcescere flamas .  
 Dūque hominē putat , amplexu quē stringit ; Amorem  
 Sentit ab insidijs fatalia tela parantem .  
 Scilicet obsequio mentitos dūm fouet artus ,  
 Dūm moderator adest , lymphisque fidelibus omnem  
 Solatur maciem , castigatorque malorum  
 Sedulus , afflictis quaerit medicamina rebus ;  
 Labitur infelix , inque ipsum saeuia medentem  
 Erumpit clades , & inundat corde venenum .  
 Hic Amor occultis Gonzagam sauciāt armis  
 Hic flamas hic tela rotat , dūm proximus haeret .  
 Quòque magis Iuuenem geminato fulminat ictu ;  
 Allicit hoc magis : & , sua vulnera rursus amantem ,  
 Dulci clade petit , cui nulla medebitur aetas :  
 Non , qui vulnus Amor fecit , ferat ille salutem ,  
 Nec finem videat , vel in ipso funere , caedis .

Inte-

Inter ea teneros clades depascitur artus,  
 Languet Aloysius; sed in aegro corpore fulsit  
 Aurea vis animi, & clarac placidissima frontis  
 Maiestas, risusque sereno fulgure maior.  
 Haesit, ad hanc specie, comitum praesaga mali mens:  
 Et mirata nouam languenti in sidere lucem,  
 O quoties timuit, ne forma nitentior oris,  
 Insuetumque iubar, fati praecurreret index.  
 Non aliter, quam vicinae praenuncia mortis  
 Esse sibi fax viua solet, cum clarius ardet,  
 Et praeter solitum, morituro fulgurat igne.  
 Quin & Aloysius tenerae compendia vitae,  
 Supremasque vices, & proximafata canebat,  
 Laetitia minor ipse sua; maestosque sodales  
 Admonuit, venisse diem meliora vehentem  
 Secula, quem facilis sibi praemonstrauerat olim  
 Omnipotens, terris agitantibus Insubribus aeum.  
 O ego, si qualem Caeli scena ampla videndam  
 Olli se dedit, & quae rerum arcana reclusit,  
 Expediam, & prima causas ab origine ducam!

Sunt geminae Caeli portae; quarum altera Solem  
 Vergit ad Eoum, semperque patentia tendit  
 Ostia; qua viuax animarum exercitus exit  
 In terras, cum se humano carcere claudit,  
 Primaque corporeae venit ad commercia lucis.  
 Altera, quae spectat morientem ianua Phoebum,  
 Rarior est aditu, centumque implexa catenis,  
 Aeternoque adamante riget: nec aperta remoto  
 Poste patet: nisi cum Caeli sacra limina poscunt  
 Felices animae, quas nulla piacula terrent,  
 Iamque adeò humanae fugiunt hyberna paludis.  
 Pro foribus, tota ex auro micat interraso  
 Bractea, litterulaque supersinō lege vagantes.

Plurima gemma facit : sed non distinguitur ordo,  
 Nec certi quidquam socialia grammata formant,  
 Nec coēunt in verba notae , sensumque colorant,  
 Confusique characteres lectoribus obstant.  
 Nec sperare licet, nisi Dia Pronoea figuræ  
 Componat, relegatque typos, dispersaque cogat  
 Symbola, & in versum, quæ sit sententia, monstrat.  
 Sic manus artificis solers, quem plurima, secto  
 Tesserulis plateo, circumstat littera, certis  
 Sparsa locis elementa legit, commissaque constat  
 Nomina, perpetuum victuris nomina chartis.  
 At Mortem perhibent ad laeua haec ostia Caeli,  
 Aduentare semel terrarum ex orbe quotannis;  
 Ut discat, qua sorte metat, quos inferat asinis,  
 Quas Superi repetant abituras corpore vitas .

Fortè per aethereum cupidus Gonzaga theatrum  
 Mente vagabatur, quem formosissimus Ales  
 Deuotusque comes lateri , non nota praeibat  
 In spacia, & Superum spectacula summa docebat .  
 Ventum erat ad postes, & non superabile vallum  
 Liminis aeterni ; vaga cùm vestigia sifit,  
 Atque oculis seruire gradum iubet aqua voluptas.  
 Haeret Aloysius tantæ ad miracula Molis ,  
 Et totum miratur opus ; iuuat ire per omnes  
 Gemmarum textus, & lambere singula visu.  
 Sed captu nibil inscriptis è ductibus haurit ;  
 Tantum apices summos, elementaque prima tuetur:  
 Omnes quanquam aditus iungenai symbola tentat;  
 Nil agit, & caeco non adjunt vota labori.  
 Interea , obtutu placide defixus ab uno  
 Dum pendet Iuuenis, comitemque immobilis audit  
 Certa renarrantem superi discrimina textus ;  
 Protinus exclamat Ductor, Viden' eminus Umbram

A tergo

A tergo ingentem, falcatoque ense minantem?  
 Illam vos umbram, mortales, nomine Mortem  
 Dicitis; at nobis vitae melioris origo est.  
 En volat hic, celerique petit nota ostia gressu.  
 Statque procul; neque enim fas est accedere Caelo.  
 Vix eas fatus erat, cum portae prouida Custos  
 Affuit, artificique manu dispersa notarum  
 Schemata committens, atque in diuersa trabentum  
 Gemmarum ductus, simulacraque nescia sensus  
 Nexu animans, ceu vermiculata emblemata formis  
 Tesseralis; facilis paucorum nomina tractu.  
 Exarat, è multis quos millibus aequus amauit  
 Omnipotens, viridisque reposcit ad Aethera virtus.  
 Ergo, dum titulos, alienaque fata sequutus  
 Mente legit, dum nosse cupit, quibus alea felix  
 Imminet; his tacite gratatur, & inuidet illis:  
 Atque ita, diuerso curarum fluctuat aestu.  
 Se quoque fatali descriptum vedit in auro  
 Gonzaga, & charum, cum vix sibi crederet, omen  
 Saepè legit re legitque, nec unquam nomina fallunt.  
 Tum vero comitem placide complexus, An, inquit,  
 Haec me gemmarum series notat? annuit ille,  
 Et Superis, ait, hic reducem te proferet annus.  
 Risit Aloysius, figensque in imagine vultum,  
 O utinam, dixit, non vana oracula reddat  
 Vitae summa meae. nec plura exinde loquutum  
 Deseruit species, tenuemque effluxit in auram.  
 At non haec Iuueni spes excidit: baeret in imo  
 Pectore fixa diu. quin, illo è tempore, fidens,  
 Affore supremam signati funeris horam;  
 Arsis adhuc meliore rogo, Caelique fauorem  
 Excoluit meritis, & non sua dona tueri  
 Sollicitus, tanto dignum se munere finxit.


Ergo

Ergo, ubi iam, morbo moritura in viscera lapsa,  
 Sentit adesse diem, nec falso illudere mentem  
 Descriptum Caeli monstrata per ostia nomen;  
 Exsilyt gaudens; ac plenus morte futura,  
 Ardenti socios abiturus voce salutat,  
 Expedit amplexus, dicitque nouissima verba;  
 At solus, tot maesta interspiria, ridet.  
 In Caelum donec ter lumina suskulit, ac ter  
 Demisit, terque ora suo morientia Regi,  
 Pendentri admouit Regi, perque oscula vitam  
 Reddidit, ac dulcè inflexa cervix quieuit.  
 Denique frontis honor, placidique modestia lethi,  
 Et lepor, & charites, & gaudia mista fatentur,  
 Non illum Mortis, sed Amoris vulnere raptum.

Tu tamen aeternos ducis placidissimus annos,  
 Securus, Gonzaga, necis, securus Amoris:  
 Nec te praeterea rerum contagia terrent  
 At nobis metuenda lues, annusque minatur  
 Noxius; id nuper grauis inclemens Veris  
 Praemonuit, monuere graues è nubibus imbræ,  
 Et Tybris undanti motu tumefactus aquarum,  
 Iuncta que belligero Saturnia sidera Marti.  
 Tu, precor, infaustos aliò depelle timores;  
 Sistere vim letbi quondam, Romaque vagantem  
 Maestitiam, atque audiam solitus compescere cladem.  
 Hæ tibi sint artes, Zephyros orare secundos,  
 Et laetas segetes, & amoenos aëris baustus,  
 Astraque tranquillo certatim innoxia Cælo.



# POESIS ELEGIACA



CHRISTI DOMINI

Nascentis ad vitam

NENIA

A HIERONYMO LOMELLINO

Sem. Ro. Conu. dicta.

ELEGIA I.



ENIOLAM canimus: procul,  
ò procul este loquaces;  
Ad Domini cunas, Neniolam  
canimus.

Ite leues elegi, quò vos Amor im-  
perat, & quò

Iret Amor; stabulo sed procul esse nequit.  
Scilicet extinctos hic demum accedit ocellos:  
Credite nunc Argum, qui modò caecus erat.  
Ergo, soluturus tanto promunere grates,  
Duritiem Pueri coepit amare Puer:

Instipula iacet, & stipula dum pungitur artus,  
 Se putat in tenera corpus habere rosa.  
 It leues; ut eatis, Amor accommodat alas:  
 Ipse in delicijs nunc iacet, ite leues.  
 Trans pelagi terraeque vias, & limina mundi,  
 Trans Libyae sidus molle patebit iter.  
 Quà primi primum Ver vitae hausere Parentes  
 Quod tamen, heu, mortis saeva momordit hyems!  
 Hic virides inter lucos, & amoena vireta,  
 Innocuos annos Nenia mitis agit:  
 Nenia, quae, mundi nascentis origine, somnos  
 Dicitur ipsa hominum conciliaisse Patri:  
 Officioque assueta pio meruisse perennes,  
 Quos nunquam inficeret foeda senecta, dies.  
 Nunc etiam placido portat sua munera vultu,  
 Fert teneras, veluti nuper oborta, genas.  
 Nec senio violata, nec attenuantibus annis:  
 Ettamen est mundo paenè gemella seni.  
 Hanc elegi, precor, Eōis in vallisbus Eden  
 Quaerite, nec merces vana laboris erit.  
 Inuentae postquam licuit perferre salutem,  
 Dicite, Bethlemios laeta frequentet agros:  
 Dicite, veloces certa ad miracula pennas  
 Excitet; his oris esse quod inuideat.  
 Dicite, Bethlemijs Caelum ipsum viuere terris,  
 Et medium in media nocte latere diem.  
 Attu, magne Puer, magni Patris aequa propago,  
 Maior Matre Puer, nec Genitore minor:  
 Interea, dum tranquillo tibi Nenia cantu  
 Dicitur, inuigila; mox propè somnus erit.  
 Inuigila: viden, ut tecum sub arundine saeva,  
 Et duno iacet in vimine durus Amor?  
 Nete crede in opis, quamuis colludat, Amori.

Calli-

*Callidus est, artes dissimulatque suas.*

*Fortior est, cum pressus humi iacet: acrius idem,  
Parcentis specie cum iacit arma, ferit.*

*At venit, en placido venit excita Nenia vultu;  
Excipe Neniolam, quae tibi, Pupe, venit.*

*Tantum elegi potuere, ut per spatia ampla viarum  
Tam subito adueherent hanc tibi Neniolam?*

*Mirarer, pennis nisi vecta volasset Amoris.*

*Et quem gestat Amor, quam leuis ille volat?  
En venit, aureolo tibi poma gerens calathisco*

*Nenia; brachiolis excipe poma, Puer.*

*Sed caue, ne teneris caue sint tibi morsa labellis:  
Aurea quin potius proijce poma, Puer.*

*Haec eadem primos, heu! decepere Parentes:  
Quam vereor, ne tu quod meruere luas:*

*In te ne recidat Patrum malefana voluptas*

*Quam metuo; nam cor tetra venena petunt;*

*Tuque cor es, mi Pupe, hominum caue, poma capessu  
Aurea, ne pestis te petat ante diem.*

*Quin age, Neniolam quando deduximus, audi:  
Iam tandem ad voces ora diserta mouet.*

*Vagitus compescit leues, cantuque vocatus  
Iungat ocellorum gemmea labra sopor.*

*I procul, aura loquax; non hic locus: i procul, aura  
Et, sic uifas est parcere; parce DEO.*

*Magne Puer, dormi; viden', ut sub nocte silentii  
Oppressus somno mundus vterque iavet?*

*At tu, mundi Oculus, vigilantes pandis ocellos:  
Claude tuas, mundi pulcher Ocelle, faces.*

*Somnus adest: viden', ut teneras diuerberat alas.  
Hac solet accendi, si riget, arte quies.*

*Non hic errantes per iniqua silentia laruae:  
Dormi, funereo nullus ab hoste timor.*

*Magne*

Magne Puer, claudit geminus sua lumina mundus :  
 Claude tuas, mundi pulcher Ocello, faces .  
 Diue, quis hic tecum puer accubat ? o age, dormi :  
 Certe Amor est, dormi : ne videare, caue .  
 Quos puer hic pueros vigilantes occupat, illos  
 Non euitato vulnere durus agit .  
 Pupule, vae misero ! nimium vicinus Amori es :  
 Heu quantum parua haec dextera fulmen habet !  
 Nescio quid mibi triste canit praesaga mali mens :  
 Quam timeo capiti, Die Puelle, tuo .  
 Quando igitur claudit geminus sua lumina mundus :  
 Claude tuas, mundi pulcher Ocello, faces .  
 Sed timeo tamen : hausisti, mihi crede, venenum :  
 Consule cor, fati cor tibi testis erit .  
 Hausisti pestem, lateat quae tempore longo ;  
 Sed tamen est pestis, sera sit illa licet .  
 Erumpent olim medicoati vulnera cordis :  
 Quodque diu latuit, crescat in ora malum .  
 O quoties dixi, Caue, mi Puer, omnia, neu' te  
 Nascentem excipiat, qui nece gaudet, Amor .  
 Sagus Amor malus est; nudus, sine voce, sine armis :  
 Excitat solis nutibus, & perimit .  
 Cresce, Puer, crescent saeui argumenta doloris :  
 Crescat in exiguo maxima corde lues .  
 Nunc geminis sopor ex oculis tibi defluit; at tunc  
 Mille oculis poterit clausus abire crux :  
 Nuc lacrymis ploras; lacrymabere sanguinis imbre ;  
 Nunc gemmas, at tunc flumina rubra dabis .  
 Siccine diffuso liuescent horrida tabo ,  
 Quae nunc innocuum membra colorat ebur ?  
 Sic erit. Heu pronos, licet ad sua funera amantes !  
 Tanti est nimirum, discere quid sit Amor ?  
 Sed quid ego haec vide, ut mundus sua lumina claudit ?

Claude tuas, mundi pulcher Ocelle, faces.  
 Claude oculos: quando haec tempus porteta mouebit;  
 Tunc illi poterunt aduigilare satis.  
 Nunc dormi, Puer: insomnes traducere noctes  
 Tunc liceat, cum te fecerit hora virum.  
 Dormi; neu' timeas tua credere membra sopori;  
 Candidus est, placido quem trahis ore, sopor:  
 In stipula somnus bonus est, similisque Puello,  
 Qui dormit: niuei pectora lactis habet.  
 At quem, Diue, trahes somnum trabe fixus ab alta;  
 Quam niger, & nigrae concolor ille necis!  
 Sed nigri tandem post ferrea munera somni,  
 Aurea tranquilli luminis aura fluet:  
 Non erit illa diu tibi pompa nigerrima; cedent  
 Somnia; nocti aderit, nec mora longa, dies.  
 Sole nouo surges, solique simillimus idem,  
 Pulchrior hac specie, qua mibi, Diue, places.  
 Forsan & in tantum nigra dormitasse iuuabit  
 Somnia; si nigra sunt, candide, quae tua sunt.  
 Quin etiam in temet somnus niger albicat; & mors  
 In temet puras discit amare niues.  
 O age, quid cessas componere pectus Amori?  
 Est bonus ille puer, ventilet arma licet.  
 Quin bonus est, certo cum vulnere ventilat arma:  
 Idem, cum venas inficit, & bonus est.  
 Pande iterum cordis penetralia, pungere ferro;  
 Non satis est vitae spicula ferre semel.  
 Neu' caue complexusque leues, ictusque seueros;  
 Melleus amplexus, mellea sunt iacula.  
 Oscula si dare plura velit; ne plura recuses:  
 Vulnera si velit; & vulnera plura roges.  
 Sic Amor est: mortem siquando immisit in hostem;  
 Vita fuit, licet hic crederet esse necem.

Nil

Nil ab Amore malum, libra pensantur eadem  
 Quae mala non doctum, quae bona, vulgus habet.  
 Magne Puer, geminus claudit sua lumina mundus;  
 Claude tuas, mundi pulcher Ocelle, faces.  
 Sed dormit mea Vita; monet me somnus ad aurem:  
 Et video, & visu gratulor ipse meo.  
 O quae de Puerō praebet spectacula somnus!  
 Certè homines inter viuere coepit Honor.  
 Aspice, purpurei quād candida gratia vultus!  
 Quād sese placido iactat in ore decor!  
 Maiestas in sede sua est, lepor omnis ocellos  
 Obsidet, aethereae sunt duo labra rosae.  
 Vtridet, risuque beatius ora serenat!  
 Ipsae, sunt Gaeli flumina, lacrymulae.  
 Ipse Amor in stipula, obtutu defixus ab uno,  
 Miratur Pueri nobilis ingenium:  
 Dulce decus frontis, capitis crinale flagellum,  
 Et violam in molli parthenicemque gena:  
 Liliaque, & teneris innata corallia mali,  
 Atque implexa suis pectora brachiolis.  
 Et videt, & sese miratus denique vinci,  
 In Puerō discit formae elementa suae.  
 Sic dormit vultu, vigilat sed corde Puerus.  
 Quantus at es; totus, maxime Puer, cores.



SANCTI IGNATII  
LOYOLAE  
Noctu sidera meditantis  
PROSOPOPOEIA  
A N. N. DICTA.  
LEGIA II.



VNC age, sidereos inter non vlli-  
 mus ignes,  
 Ignati, superos & tua Regna  
 vides :  
 Optatas iam cernis opes securus  
 Amorum,  
 Iam sine sippario Scena beata patet.  
 Extima rimaris nitidae spectacula pompa,  
 Has tamen excubias intimus hospes agis.  
 Cum tuus humanos animaret spiritus artus;  
 Caelo aderas oculis, corpore fixus humo:  
 Astrorum spectator eras, spectabilis idem,  
 Excibas facibus ad pia bella faces.  
 Credo equidem victor; licuit tibi nempe superbos  
 Caeli oculos oculis paenè hebetare tuis.  
 Nec tantum ardebas Caeli tu sidera, quantum  
 In tua se Caelum sidera condiderat.  
 Nondum nocturnis defessa laboribus astra,  
 Non desiderio languida solis erant.  
 Integer errabat caelesti exercitus aruo

Cinctus inexhaustae cyclade lucis adhuc .  
 Caelo erat, ut nunquam, facies sua . nulla vaporum  
 Inuidia aethereas nube tegebant opes .  
 At Loyola animum somno sopitus Amoris ;  
 Hoc unum excipias, cetera membra vigil :  
 Emicat, & gelidis sua gaudia ventilat auris ;  
 Quanquam auras aestu pectoris ipse fouet .  
 Gaudet in occursum puri procedere Caeli ,  
 Gaudet in aspectus nocte silente frui .  
 Et fruitur, tacitusque dum tacita astra tuerit ;  
 Quaeque trahit tellus otia mutus amat .  
 Sed quoniam plaudunt elementa tacentia votis ,  
 Atque etiam venti, turba molesta, silent :  
 Nec tamen usque filet Caeli concentus ; ab uno  
 Quippè meus vocis pondera ducit Olor .  
 Hinc cantum explorat, faciles sic erudit aures ;  
 Ut doceant ipsae mox quoque corda loqui .  
 Haec equidem, si tanta meis audacia coepitis ;  
 Eruere ex umbrae faucibus orsa velim .  
 Filia tu noctis, cui dicta tenerima quondam  
 Obseruare datum est auribus , Aura veni :  
 Te siquidem perhibent, ne candida sensa perirent ,  
 Inter thesauros se posuisse niuis :  
 Illa, precor, mihi sensa refer, vocemque diserto  
 Imple animo ; ex humili surgere verba decet .  
 Ergo flammigeros Ignatius haesit in orbes ,  
 Suspexitque vagas, sed sine voce, faces :  
 Donec abundauit liquido de pectore sensus ;  
 Et verba ipsius viscera cordis erant .  
 O nullo superanda malo tentoria solis ,  
 Et formosa oculis castra beata meis !  
 Cur ego non mereor vestrae stipendia lucis ?  
 Bella tamen geffi saepè, nec usque moror .

O si tela mihi , si spicula nulla fuissent ;  
 Quām quibus ē Caelo vincis , amica phalanx !  
 Sed cur ascribi superis stationibus opto ?  
 Non est conueniens sordibus ille locus .  
 Sors mea quām dispar vestrae ? quām ferrea torpet  
 Vita mihi , quāmuis aurea vota feram ?  
 Aurea sunt , fateor ; sed habent à fine colorem ,  
 Et pretium votis meta petita facit :  
 Nām de fonte trabunt momenta simillima fonti ;  
 Et cor , votorum est vena , sed aere fluit .  
 At vestrae lucis eadem , quae solis , origo ;  
 Nec procul ex oculis huius abire licet .  
 Nascimini aspectu solis , spiratis eodem ;  
 Atque haec est vobis vita , videre patrem .  
 Scilicet ille idem , qui vos generauit & auget ,  
 Sol genuit , sol & lacte nitoris alit .  
 Me procul à Patria , Genitoris ab ubere raptum ,  
 Expositum tristes ad Babylonis aquas .  
 Nūquām oculos , nūquām chari Patris ora vidente ,  
 Damnatum exilio barbarus orbis habet .  
 Et merui ; neque enim paenae nunc deprecor omen ,  
 Sed mea prae vestro munere damna queror .  
 Hei mihi , quām longē video mea gaudia ! quantum  
 Distat ab ingrato carcere summa salus !  
 Non possum haec inter terrarum hyberna morari ,  
 Quin flammam à vestro saepius igne petam .  
 Hic semper Stygijs Aquilonibus edita , semper  
 Dura , vel in medys aestibus , horret hyems .  
 Hic glaciem male suada creant incendia ; quanquām ,  
 Quae possit glaciem soluere , flamma deest .  
 Hic dolor assiduus , semperque reciproca flendi  
 Officia , & nulla sorte quietus Amor .  
 Hic hostis telo furibundus & arte nocendi ,

Sic augeo, infidias; si moror, arma mouet.  
 Nec mihi perfugium, nisi castra nitentia lucis:  
 Hoc etiam timidae mentis asylon abes.  
 Sic ait, & tacuit: nam verba occidit amaror;  
 Et de caede velut sanguis eunt lacrymae.  
 Velle plura loqui; successu sed caret usus:  
 Credebat voces fundere; luctus erat.  
 At soli fletus, quanquam sine mente queruntur:  
 Viua tamen tacitae munera mentis habent:  
 Iamque oculis lacrymas laxat, suspiria cordi:  
 Cedit, dum regnat mentis in arce, dolor.  
 Istatamen non sunt suspiria muta; nec illae  
 Sunt lacrymae, & luces non nisi luce madent.  
 At, postquam requies singultibus, & sua voci  
 Vita reddit, suus & spiritus ora mouet;  
 Orsa redorditur fixusque in sidera clamat:  
 Dum Caelum aspicio, quam mibi sordet humus?  
 Maeret opum splendor, vere auri gratia pallet,  
 Sunt mera iam gemmae pondera, liuet honor.  
 Ipsi camporum flores per gramina dicunt:  
 Nos Caeli florum nec leuis umbra sumus.  
 Vnde habet ingenuum Veris Regina ruborem;  
 Ni, quia prae superis dispudet esse Rosam?  
 Vos immortales campis stellantibus horti,  
 Ab precor, in vestrum me finite ire nemus.  
 Hic, ubi perpetuos nitidae facis ubere foetus  
 Educat orta diu, nec moritura dies.  
 Nec florū haec sboles, quam latet, occidit onquā:  
 Hoc uno excepto, cetera Veris habet.  
 Chara seges, Domini pretiosa rosaria vestri,  
 Captantisque auram rura beata Dei:  
 Et flores Diuini inscriptos nomina Solis  
 Solus habet, viuae lucis alumnus, ager.

Numinia quid magni solis loquor? ora volebam  
 Dicere; sideribus scilicet auctor inest.  
 Estis, io, luces supremae lucis imago:  
 In vobis quaedam Numinis aura micat.  
 Et quisquam mibi terrestres obtrudat amores,  
 Dum meus in Caelo splendet & ardet Amor?  
 Ergo meam retinent lucis praetoria Vitam;  
 Ferreus est humili quisquis in orbe manet.  
 Surge anime: ab valeant luces, quae sidera non sunt:  
 Odi ego sub Caelo lumina squa nitent.  
 Quanquam & vos odi, soboles o candida solis;  
 Parcite, quandoquidem nec meus estis Amor.  
 Quidquid Amor non est meus, & meus Arbiter; odi.  
 Huius stillae estis, non tamen Ipse, faces.  
 Est aliquid vestra niue purius, & face maius;  
 Praetereo riuos, si modò vena fluat.  
 At mihi vos Superum vigiles, ne scena patescat  
 Intima, sipparium ducitis ante oculos.  
 Et Caeli chorus inuideat, mea ne bona norim?  
 Aurea vela mibi sunt, sed auara tamen.  
 Cur regio astrorum cum sit nitidissima, Caelum  
 Dicitur? annè meas quod mibi celat opes?  
 Tot tamen ipsa oculos aperit, quot sidera pandit:  
 Sic oculata sibi, fit mibi caeca domus.  
 Pande, precor, nitidi stellantia carbasa mundi,  
 O Superum Regis dulce satellitium.  
 Memi istis admitte adytis: aut ne mibi parere;  
 Atque illo certum fulmen ab igne vibra.  
 Haec ait, utque aderat fixus sic constitit astris:  
 At sensu pectus, labra sonore carent.  
 Viuendi iam solus erat, qui non erat, index:  
 Et signum vitae, vita negata, fuit.  
 Vsque adeò immotus, motum tamen ore fatetur:  
 Ipsi

Ipsi oculi extincti, viuere corda docent.  
 Quin etiam color, & rubicundae gratia frontis  
 Nominis alterius quam necis omen erat.  
 Sic stetit attonito similis, vitaque carenti;  
 Nunquam adeo vitam visus habere magis.  
 Tantum etenim aspectu lucis de luce trahebat;  
 Ut vel sideribus concolor ipse foret.  
 Denique, cum stellas veniens Aurora fugaret;  
 Quod iam fidus eras, tu quoque, Diue, lates.

---

## MARGARITAE HISPANIARVM REGINAE è vita abeuntis

EPITAPHIVM  
 A FR. ALEXANDRO COSTA  
 Equite Hierosolymitano dictum.

### ELEGIA III.

 CILICET ad tumidae ius in-  
 tractabile mortis  
 Haec etiam deerant irrita vota-  
 diū:  
 Non satis huic fuerat resecare in-  
 stirpe triumphos,  
 Et superinductis vertere funeribus:  
 Non satis, audacem moliri in sceptrā bipennem,  
 Non,

Non, regnatrices sternere falce domos.  
 Maius in hoc uno meditatur funere funus,  
 Hoc amat, haec Mortem palma suprema facit.  
 Nam bona, quae ferro sparsim violenta metebat,  
 Heu! didicit tandem cuncta secare simul.  
 Hoc erat in votis, cum se truculentior olim  
 Sueuerat in Regum ludificare caput:  
 Verterat huc animos: haec, diem surgebat in ictum,  
 Meta secuturi vulneris una fuit.  
 Euenere: Iaces, heu, quondam Margaris! at nunc  
 Pectore de tanto nil nisi parua cinis.  
 Margaris, heu, magni felix modò nominis heres!  
 Nunc tamen, heu facinus! nominis umbra tui.  
 Margaris, Heroum fortunatissima quondam  
 Cura, sed heu! posthac cura futura magis.  
 Quae superest morti pugnacis gloria dextrae?  
 Certius hoc nullum vulnera vulnus erit.  
 Nil habuit quondam, quod posset visere maius;  
 Nil modò, quod possit vincere, maius habet:  
 Dissipat hic uno splendorem nominis ictu,  
 Quem sera antiquos suxerat inter Auos:  
 Hic rapit Eoas, quas congerit India, gemmas,  
 Maioresque animi depopulatur opes:  
 Annorum florem violento demetit vngue,  
 Nec tenera in fructus crescere vota sinit:  
 Hic ruit aethereo finita potentia Regno,  
 Et grauis imperij conscientia summa cadit:  
 Ingenij vis illa cadit, Regum illa potentum  
 Aptar ministerijs mens operosa fugit:  
 Haec simul interitu Mors effera dissipat uno;  
 Sola ita multorum Margaris instar erat:  
 Usque adeò unius speciem natura probauit,  
 Atque opere in tanto gestiit una legi.

Non

Non tamen hinc caecū reuocat Mors improba ferrū,  
 Sed magnū hoc, quantū est, Margaris ense metit .  
 Et quisquam leges dabit & fomenta dolori ,  
 Et liquidis oculos ire negabit aquis ?  
 Itē, leues Elegi, terrarum dicite fletus ;  
 Dūm vobis flendi maxima causa fletis :  
 Dūm vox Hesperiae tacet, aeternūmque tacebit ,  
 Interea liquidi non taceant oculi :  
 Ni tamen, ut vocem, lacrymas itā congelat intus  
 Actus in angusti pectoris ima, dolor .  
 O dolor, o luctus magna argumenta futuri ,  
 Dūm vebet Austriacas diues Iberus opes !  
 Quid iuuat, ingentes in pocula cudere gemmas ?  
 Quid iuuat, aurata condere lance dapes ?  
 Quid iuuat, exesae penetrare in viscera terrae ;  
 Et bona rimari, quae fouet illa sinu ?  
 Quin etiam gressu infernas tentare latebras ,  
 Et nulli tritam paenē aperire viam ?  
 Vtique renidescat digitis ardentibus aurum ,  
 Tanto operi affuetas attenuare manus ?  
 Quid iuuat, extremos trahere in sua iura Triones ,  
 Et premere Eoas, Occiduaisque plagas ?  
 Et graue cum Phoebo diuisum munus habere :  
 Aspicere hunc terras, te regere imperio ?  
 Non haec sunt volucris fati mora : missile telum  
 Mortis signa libens nobiliora ferit :  
 Haec petit, haec valido sunt praeda celerrima ferro ,  
 Excelsa hic Morti qui sedet arce, placet .  
 Non illam croceo concharum tintæ veneno  
 Vestis ab augusta dimouet usque domo :  
 Non equitū, peditumue phalanx, aut fulminis instar  
 Quae venit aerato glandis ahena tubo :  
 Regia non facies, non copia diuitis auri ,

Quae.

Quaeque animo ingentes accumulantur opes.  
Dissipat haec urbes, & ducta palatia Caelo,  
Vt facili angustos diruit arte lares:  
Difflit è fragili sceptrum violabile dextra,  
Et cadit ex alto vertice summus apex:  
Vos Regna Hesperio latè diffusa theatro  
Testis, & Oceani littus Atlantiaci.  
Testis, in angusto vix tota inclusa feretro  
Margaris, & paruo condita sub tumulo:  
Quae quondam è solio claris lucente pyropis  
Candida subiectis iura dabat populis:  
Quam super Oebalio splendebat dente lacunar,  
Atque pedes subter plurimus ibat onyx:  
Curia quam circum nutu pendebat ab uno,  
Cingebatque cohors obsequiosa latus:  
Qua sine nil aderat, dici quod amabile posset,  
Qua sine non poterat candidus ire dies.  
Nunc tamen, occiduo dum condit lumina somno,  
Non condit luces sola, nec una perit:  
Accedunt pariter geminatae foedera mortis,  
Inque uno extinctos accipit urna duos:  
Accipit Heroem mors haec communis utrumque,  
Inque sua rapiunt Coniuge fata Virum.  
Et quisquam speret Libitinæ illudere? quisquam  
Speret in exhaustum fallere posse necem?  
Quis non funestae dabit obtruncanda securi  
Colla? quis hoc censu praetereundus erit?  
Si Regum augustas petit imperterrita turres;  
Annè reformidet Mors violenta casas?  
Sic solet aequoreae scrutator conscius undæ,  
Qua natat Eoo plurima concha mari.  
Nempè, serenato dum ponunt flamina ponto,  
Multæ fluentisonas cochlea verrit aquas:  
Cochlea

Cochlea diues opum, qua non praestantior ulla  
 Attrahere ignotas ad sua furtar manus :  
 Imbricis intorti scatebroso tegmine vivit,  
 Diuitis & paruo turbinis orbe latet :  
 Cui stria crispato percurrit plurima dorso,  
 Atque iterum in se se reticulata redit :  
 In caput exiguis spirarum circuit ordo,  
 Tortilis & summo in vertice crescit apex :  
 Sese in mucronem conchylis cauda supinat,  
 Intus in oblongam conduplicata tubam .  
 Non tamen his animis species est corporis una ;  
 Est, formae precium quae praeceuntis habet .  
 Pulchrior haec conchas facie supereminet omnes ,  
 Praestat ut astrorum regia Luna choro :  
 Concha praeit princeps, & cursu tendit in altum,  
 Et praeit & sequitur cetera turba Ducem :  
 Velificant pelago celeres, seseque carinant,  
 Opponuntque vagis concava membra notis .  
 Si forte in casses veniat Regina natantum ;  
 In toto casses aequore nulla fugit .  
 En rapidae laqueo Mortis captiuua tenetur  
     Margaris, augustum cui stetit imperium .  
 Et quisquam caueat venantis retia Lethi ?  
     O age, funestas, Mors fera, pande plagas .  
 Ergo, quandoquidem magnis vita excidit ausis ;  
     Huic famula, Heroum more, parentet humus .  
 Instrue tu maestam, viuax Elegēia pompam ,  
     Affer inextinctas ad pia busta faces :  
 Suggere tu lacrymas lacrymosa ad iusta petenti,  
     Erige funereum flebilis ipsa pyram .  
 I, pete gemmato productum vertice templum ,  
     Quā celebri cultus mole superbit honor:  
 Extinctae modò cultus honor, quem saepè solebat  
     Per

Per mille exceptum fortia facta sequi.  
 Hic placet illustrem singultibus Heroinam  
 Plangene, dum cineri redditur illa suo:  
 Quare age, funesto cingantur moenia luctu,  
 Candidus ex illa defluat arce color:  
 Surgat in augusta lacrymabilis aede cupressus,  
 Omnia luctifico sint operata rogo:  
 Explicit accensum maestis funeralibus agmen  
 Plurima lugubri tibia rauca sono.  
 Hic Procerum trabeata manus, grauiorq. Senatus,  
 Longa phalanx Equitum, densa corona Ducum.  
 Nec Matrona procul, luctus imitata Virorum;  
 Quae maius tanto in funere nomen habet.  
 Occupet hic agmen Natorum regius ordo,  
 Qui magni posthac agminis instar erunt:  
 Non minus Infanies annis, quam nomine, ducunt  
 Principium vitae, sed documenta necis:  
 Vix Matrem nouere prius, quam funera Matris,  
 Denata, natos se, Genitrice vocant.  
 Quorū aliquē ut peperit Genitrix; vitā ipsa reliquit:  
 Sic tota in nato maluit esse Paren.  
 Indolis quanta stirpem! quae germine papuo  
 Nunc viret: at decorum tollet in astra nemus:  
 Pectoris immensi soboles, & pectoris heres;  
 Cui licuit caro delituisse sinu:  
 Et dare materno regalia brachia collo,  
 Atque inter risus dicere, Mater ave.  
 Nunc in Matre cadunt, sed viuit Mater in illis:  
 Horum mors, dolor; & vita Parentis, amor.  
 Aspicis, ut tenero procul errat ab ore Voluptas,  
 Maeror & in tenera fronte virilis agit?  
 Sponte sua lacrymae, nullo poscente liquecunt,  
 Non intus maerent corda, sed orament.

Natis.

EPITAPHIVM ELEGIA III. III

Naturae, non mentis opus sunt denique fletus :  
Ignorant, quae sit causa, sed usque dolent.  
Immo nec aduertut, quid sit dolor, & tamen horret:  
Dumque dolent, iusti forma doloris abest.  
Denique non adeo, quid sit lacrimabile norunt,  
In quibus est aetas ad sua damna rudis.  
Horum igitur famulos beant vestigia gressu  
Regna, nec ad maestam taedeat ire pyram,  
Regna, quibus magno cum Coniuge Regia Coniux  
Margaris imperij iura verenda dabat.  
Suspensas quodcumque altis hastilibus urbēs,  
Oppidaque ad titulos conspicienda trabat.  
Cantabria ante omnes sese vehat ardua vultu,  
Cui teretes tollant moenia multa sudes.  
Explicit inde gradus genitrix Aragonia Regum,  
Et stipata suis verbibus agmen agat.  
Caesaris Augusti tellus flauescat in auro,  
Oseaque, Sertoriū caede cruentus ager.  
Nec procul ingentes augustae Bilbilis arces,  
Quas Salo mentitis cingat abenus aquis.  
Inde secuturos glomeret Catalaunia gressus,  
Et pullo maestam syrmate verrat humum :  
Quam circum auratas sustollat in aere turres  
Barcino, & irriguis diues Ilerda vadis.  
Ficta sit, at veros imitetur Tarraco muros,  
Tarraco, Scipiadae quam coluere Duces.  
Augeat incessu celebrem Gallaecia pompam,  
Quaeque suum niueis nomen inussit equis.  
Hic celsam attollat formosa Valentia frontem,  
Murciaque, & pingui sparsa Granata solo.  
Nec procul abstineat longos Bethuria tractus,  
Nec Tartessiacus quae loca Baetis arat.  
Quidquid Atlantea protenditur Amphitrite,

Et

Et Lusitano regna superba Salo .  
 Regna, quibus pluuiio collapsa Ceraunia Cælo  
     Imperat, innocuas fulminis esse faces .  
 Abditaque extremo tellus Malabarica mundo,  
     Confitaque in medio Goa vetusta mari .  
 Tu quoque gemmatis Peruuia diues arenis  
     Hic eris, atque auro sculpta ferere tuo .  
 Utque adsit, posita feritate, Brasilia viuo  
     Corpora caesorum linquet in igne virum .  
 Non desit, medio quae torrida subiacet axi,  
     Sparsa Philippinis Insula multa plagis .  
 Nec procul, innati dederunt cui nomina flores,  
     Funere ab Augusto terra Quitensis erit .  
 Tyrrhenique maris Regina Neapolis adsit,  
     Syrenasque suas ad pia busta vebat .  
 Linquat inexhaustos opulenta Insubria campos,  
     Et pelagi claustrum, Trinacris ora, Pharon .  
 Singula quid memorem reliquis iam rebus abudat,  
     Austriacum numerò sed caret imperium .  
 Summa sequar. Castella suas ferat utraque sedes,  
     Ultima, censendi lege: dolore prior .  
 Hic placidi colles, & Oleti moenia Vallis.  
     Regum erat: at Veris Regia semper erit .  
 Seu tu grande forum Sophiae Salmantica, seu tu  
     Complutum, simili merce beata domus .  
 Et Toletano Romana Colonia cliuo,  
     Quam suus aurato circuit amne Tagus .  
 Carpetana mihi claudat iam Mantua pompam,  
     Ceteraque hic supra fercula crescat apex .  
 Quandoquidē reliquias tantum supereminet urbis,  
     Quantum alias vicit Margaris ipsa Nurus .  
 Margaris hoc orbi pretium dedit, ipsa trahendo  
     Vitales auras, nomina clara tulit .

Scilicet hoc caelo felix ea vita vigebat,  
 Inde fouebatur spiritus ille vigil.  
 Ecqua sit haec tellus, quae tanti in pectoris usum  
 Viuaces Zephyros gignere digna fuit?  
 Atque utinā hanc nunquā foedasset funere famam;  
 Cuique dabat vitam, non quoque fata daret.  
 Et tamen Vrbs puros instillas aëris haustus,  
 Viuendique diū semen ab axe trahis;  
 Aucta secundantum ventorum mitibus auris,  
 Et fortunatis subdita sideribus.  
 Austriaci quondam imperij Germanicus ardor  
 Carolus, extinctis viribus, aeger erat:  
 Utque tuas venit spe tantum firmas in oras;  
 Auspice te, subiit Regia membra salus.  
 Idem utinam tua venisset in moenia rursum,  
 Imperij postquam grande reliquit onus:  
 Forfitan aegra tuo sub caelo membra leuasset,  
 Nec casum Hesperij flesset Atlantis humus.  
 Nunc in te moritur Princeps tua. Tene salubri  
 Sistere consilio non potuisse necem?  
 Quare age, Regificum comitare, sed aurea, funus,  
 Tuque in te vera scilicet esse velis.  
 Haec meritis inficta venit tibi paena, quod in te  
 Reginam extinguiri srueris ipsa tuam:  
 Eius ut ad pompam, licet in te pompa feratur;  
 Non te fama, tui sed simulacra ferat.  
 Denique succedant maiorum insignia Regum,  
 Margaris unde trahit nobilitatis opes.  
 Longa retrò series, & censu copia maior,  
 Fumosis funus splendet imaginibus.  
 Ergo, antiqua licet, spiret fulgore recenti  
 Virtus, Rodulphum quae dedit imperio:  
 Qui, quoniam Domino se præbuit ipse minorem;

Idcirco meruit, Maximus esse Ducum.  
 Ordine mox ineat propior, ut sanguine, Victor  
     Albertus, namque hoc nominis omen habet:  
 Qui Marte exarsit biffeno in prælia, palmam  
     In sua biffeno moenia Marte tulit.  
 Inde procuratis acer Leopoldus in armis,  
     Inque hostes veniat sanguinolentus Otho.  
 Nec tu praeterea plenus, Friderice, triumphis;  
     Cui tua venturos facta tulere dies.  
 Hic adsit, qui bacchantes in sceptra colonos  
     Reppulit in patrios Maximianus agros.  
 Carolus hic, tumidum qui cum traiecerit Albin,  
     Saxoniis inuicta contudit arte minas:  
 Ceteraque Heroum series numerantibus impar,  
     Ad quorum titulos Austria tonsa iacet.  
 Sed quis in hac pompa locus, & quae iura Philippo  
     Nunc ego te chara in Coniuge desituo:  
 Hanc tibi iam dederat sedem Dolor: immo age, sedem  
     Hanc tibi iam dederat causa Doloris Amor.  
 Frustra opus aggreditur qui te quaesuerit extra:  
     Hic age cognati funeris exsequias.  
 Et, quamuis maestio dicaris in agmine visus;  
     Si nescis, animus exsulat inde tuus.  
 Exsulat, & media viuax in Morte quiescit,  
     Nam quod amas, licet in funere, viuis adhuc.  
 Seu potius moreris, vitamque hac lege tueris,  
     Vivere si forte hanc possit adempta Nurus.  
 Sed tamen, heu duri genus insuperabile fati!  
     Falsa sibi verus somnia fingit Amor.  
 Somnia sunt: prima sed redita somnia nocte  
     Qualia de nubo limine mittit ebur.  
 Scilicet in rigidam pressisti lumina mortem,  
     Margaris excelsae constituenda pyrae.

Hic,

Hic, ubi sublimi iaceas resupina feretro,  
 Regiaque accensus exuat ora cinis:  
 Sed procul ex altis Fama hic accita caueris  
 Eripiet cupido fortia facta rogo:  
 Et, postquam fuerint depastae viscera flammae,  
 Seliget ambusto è corpore reliquias:  
 Membraque candentes dudum cinefacta per ignes  
 Conteget augusti marmoris in gremio:  
 Artificique addet viuacia carmina dextra,  
 Carmina mortali non abolenda die.  
 Quem premis, haud tumulu, sed conchā crede, Viator:  
 Abdita, si quaeras, Margaris intus agit.



P. CAESARI LAVRENTIO

E SOCIE T. I E S V

Dùm in Rhetorica docenda Collegam  
ageret, diem vltimum obeunti

THRENODIA  
AB AVCTORE DICTA.

ELEGIA IV.



*N iterum in lacrymas. ò multipli-  
cata colorum*

*Ilias : ò nullo sors inhibenda-  
malo !*

*Credo, vides sterilem ingenij mibi  
currere venam ;*

*Argumenta ideo fertiliora paras.*

*Norma querelarum, praeceptrix horrida luctus,*

*Et non discendae saeva magistra necis ,*

*Sors, fuga fatorum, Sors voce simillima Morti ;*

*Quae ne Mors eßes, littera sola facit .*

*Debueras vna saturari caede: quid auges*

*Materiem, toties in mea damna ferax ?*

*Fleuimus extinctum, Mutinensem nuper ad urbem,*

*Stephonium, nec adhuc lumina rore carent :*

*En iterum in lacrymas. flemus tua funera, Caesar,*

*Par, qui, Stephonio progrederere comes :*

*Sed vitaç comes, alterutrum facit alter acerbum,*

*Viue.*

Viuere longaeuos dignus vterque dies.  
 Interea grati dum soluit amoris amaror.  
 Nescio quod maeſti pectoris officium;  
 Huc ades, o Caesar: ſint haec maefiſſima quamuis,  
 Accipe, vox etenim corda loquentis habet.  
 Non amat ingenium mihi Maeror, abominor artem  
 Verius ille dolet, qui ſine lege dolet.  
 Moerentem confusa decent: ſunt verba Dolori,  
 Sed quae percipiat verba nec ipſe Dolor.  
 Hunc ſequor: hic meus eſt, anni fatalis, Apollo:  
 Et mihi iam Parca eſt, Musa quod ante fuit.  
 Lux aderat, quae Palladio viſenda theatro,  
 Magna Subalpini Principis ora dedit:  
 Cum ſetto paries modulari carmina vultu  
 Viſus, & ad laudes pectus habere lapis:  
 Has inter charites, & amabilis otia pacis,  
 Quis credat rigidis febribus eſſe locum?  
 Et tamen, heu facinus! Morbi Mortisque ſatelles,  
 Ignea viſ, tacitos huc tulit & ſque pedes.  
 Ipsi quoque hoc voluit, mala Ladia, ludere circō;  
 O mala, ſi bene viſ ludere quaere parem.  
 Non tibi conueniunt viuacia robora, non te  
 Caesaris ille decet, Caesare dignus, honor.  
 Ille color vultus, oris vigor ille, latentis  
 Ille animi, foris in fronte notatus, apex:  
 Non tua ſunt Mortis, ſed Vitae culta ſupetlex;  
 Inter inaequales lufus, bonore caret.  
 Tam decori macies, quam ferro diſcrepat aurum:  
 I, conſer rigidis arma cadaveribus.  
 Illa tamen mala Saga, volatilis umbra malorum,  
 Ridet, & obducta respuit aure preces.  
 Quin potius gaudet meliori inſiſiere tergo,  
 Et cum praefanti corpoſe ludia placet.

Si plus humani, Caesar, tua vita tulisset,  
 Letho arrisisset forsitan illa minus,  
 Sed te conspicuum rel quis ex omnibus unum,  
 Viribus & firmis perfida vidit anus:  
 Vedit, & inuidit; validosque amplexa lacertos,  
 Eluctaturas expedit arte manus:  
 Et licet exsanguis vix ossibus haereat, astum  
 Quis neget, & benè pro viribus esse dolos?  
 Vtitur his, quibus illa valet. nil tale verentem  
 Vno supplantat sat pede nixa, virum.  
 Affligitque, ictusque repercutit; ille, priusquam  
 Se pugnasse putet, iam cecidisse videt.  
 Scilicet, affixus languentia membra cubili,  
 Tam citò fit caesus, qui modò Caesar erat?  
 Ventum est ad dubiae supraea crepuscula vitae,  
 Aureaque in mortem coepit abire dies.  
 Hic male crudescit male confirmata cicatrix,  
 Et retractati vulneris ora patent.  
 Quis mihi tunc fuit extincto sub pectore sensus?  
 Siquis tum sensus visus adesse mibi est:  
 Ars cum victa manus dedit, & spem lusit amatum,  
 Et ferre ulterius posse negavit opem.  
 Testabar vultu, premarem quem corde dolorem;  
 Inque leues mea iam vita fluebat aquas.  
 Quid facerem, si me raperet sua pignora secum  
 Altera pars animi dimidiumque mei?  
 Flere licebat, opem quia non afferre licebat:  
 Dextra ope; sed lacrymis non caruere genae.  
 Quod si unquam caruere; fuit, quia quos Dolor imbris  
 Fuderat, hos ipso in fonte gelabat Amor.  
 Nec tacitos oculos fecit penuria flendi,  
 Credite, sed luctus maestitia eque gelu.  
 Tranquillos vultus & lumina sicca gerebat

Solus

Solus qui nostri causa doloris erat .

Ille quidem posuit peracerbo in funere vitam :

Sed docuit , fortes qua decet arte mori .

O quoties pia vicini solatia lethi

Optauit , longae praesidiumque viae ?

Iamque auido non tam vultus , quam pectoris ore

Libauit niueae frugis in orbe DEV M :

Quas animi flamas , & amantibus edita flammis

Caesar ab innocuo pectore vota dedit ?

Quam teneras fudit , per sensa nouissima , voces ,

Vltima quae nostro verba reposta sinu ?

O ego , sensa velut memini , sic verba tenerem :

O mea quanti essem lingua ministra boni !

Nondum plenus erat languentis imagine fati ,

Cooperat aut vocem destituisse vigor ;

Cum stetit , & charos supremum affatus amicos ;

Qui fuerat vitae , fit quoque mortis Olor :

Atque ait . En morior . cui nunquam anteacta pudori

Vita fuit , neque mors huic metuenda venit .

Quanquam nec morior ; quid enim sit viuere , si quod

Interea experior , dicitis esse mori ?

Nunquam ego sic vixi , melior dum vita maneret ;

Dumque dies agerem , sic perisse velim .

In vita mortem toleravi , in funere vitam :

Viuere nam semel hoc : illud obire diu est .

Quod si forte iuuat , quam nunc fero , dicere Mortem ;

Viuere diu felix , ut moriare semel .

Mergor inassueta liquidae dulcedine mentis ,

Nee sese magni pectoris urna capit .

Esse quid hoc dicam ? video mihi surgere funus ,

Sed maestri pompam funeris esse procul .

Non mouet antiquos animus sibi conscius annos ,

Nee singit , quod non fecerit ante , nefas .

Si qua recordanti malefacta priora vetustas  
 Obijciat, Dolor hanc esse sepulta monet.  
 Assidet ille comes morienti, hoc munere tantum;  
 Ut sit gaudendi causa, vel ipse Dolor.  
 Quin neque me rerum euentus, metuensque futuri  
 Cura, propinquantis nec mouet ira mali.  
 Quidquid id est, Iudex meus est Amor: ille tribunal  
 Iudicis, ille rei pectus amantis habet.  
 Ille gerit fulmen, qui fulmine vulnera placat;  
 Non timeo, nisi quis crimen amasse putet.  
 O vigor, o DEVIS, o animi liquidissimus ardor,  
 Et potui hoc mortis promeruisse genus?  
 Credo equidem sese postrema infata referuat,  
 Atque in delicias usque trucidat Amor.  
 At vos, o chari, mea maxima cura, sodales,  
 Desinite in lacrymis quaerere velle fidem.  
 Viuite vos, quibus est viuendi gratia, Virtus:  
 Viuite, sed memores, tempora longa, mei.  
 Quod si nulla tenent Superos obliuia rerum;  
 Semper inexhausta vos ego mente geram.  
 Vix ea, cum dulci recreatas munere vocis,  
 Plus coepit vitae, mortis habere minus.  
 Tempore iam ex illo Superi meliora ferebant;  
 Velle videbatur vertere terga malum.  
 Iam voci sua vita, vigor suus additus ori est,  
 Sopibatque oculos semper amoena quies.  
 Credula res Amor est, & ego quoque credulus illi:  
 Quam citò compressit spes rediuita metum?  
 Laetitiae quae signa dedi, quae gaudia finxi?  
 Dicebam, Caesar fit bene, sospes eris.  
 Sospes eris, laeta repetebant voce sodales:  
 Tanti constabas omnibus una salus.  
 Non secus antiquam tenuit fiducia Romam.

Cardita-

Caesaris alterius cum lacrymata necem est.  
 Et liceat paruis componere magna; sed ingens  
   Haec iactura boni, non mihi parua venit.  
 Iam procul occiderat domito Germanicus Istro,  
   Fatorumque reus, vicitur ubi ante, fuit.  
 Delicias tum Roma breues, & Principis umbram,  
   Facta, querebatur, Principis umbrasui.  
 Vrbs gemit, & pullo mutatur purpura panno,  
   Iura silent, sordet Curia, Templa vacant.  
 Ecce tibi medio veniens in funere, factum  
   Fama renarrabat, viuere fassa Ducem:  
 Auspicijs pia Roma fidem melioribus implet;  
   Quodque magis vellet, verius esse putat.  
 Laetitiae dāt signa nouae, gaudetque recepto  
   Principe; laetitiae sed brevis aura nouae est.  
 Sponte sua rursus spes occidit orta salutis:  
   Et qui plus gaudet, non dolet ille minus.  
 Nos quoque vitali pro Caesare duximus omen,  
   Et fore sperabat vel Timor ipse bonum.  
 Non Spes illa fuit, sed, quae sperantiibus obstat,  
   Mors nigra, Mors placidae Virginis ora tulit.  
 Spem simulauit atrocē, subiit faciemque colorēque:  
   Abūcitar Mortis forma; sed arma manent.  
 Scilicet, ut nobis duplex dolor esset: at illi,  
   Bis velut erepto Caesare, palma duplex.  
 Iisque adeo confessarinas, tractabile ferum  
   Expedit, & rigido spem prius ense necat:  
 Illa fuit pugnae prolusio. deinde iacentem  
   Insilit, & caeco vulnere Caesar hiat:  
 Vulnera, quo Caesar satis est. ne cetera dicam,  
   Furatur tacitus verba sequuta Dolor.  
 Et tamen, aeternū voluit te viuere Virtus;  
   Cum tibi, quod vitae defuit, illa dedit.

Caesar

Caesar eras: fatum potuisses vincere; nec tu  
 Debueras caedi fulmine; laurus eras.  
 Ut mihi tristè iaces! multis tu flebile nomen,  
 Nulli flebilius quam mihi nomen habes.  
 Multos illa tuae rapuit clementia formae,  
 Et non turbati pectoris ille nitor:  
 Comis amabilitas, facilis reverentia vultus,  
 Semper & in placida fronte modestus honor:  
 Eloquij grauitas in tempore: gratia linguae  
 Multa, ioci faciles, ingenuique sales:  
 Ille iuuandi ardor, studium sine fraude merendi.  
 Et sibi, quam reliquis, mens nocitura prius.  
 Consilio deuota manus; prudentia falli  
 Nescia, nec docilis fallere simplicitas:  
 Religio, Pietas, recti tenor, ardor honesti,  
 Cura loquuturi pectoris ante DEV M.  
 Hic animi vigor, haec caelestis filia fontis  
 Quot tibi molliuit pectora, vena boni?  
 Adde, quod ingenij virtus non moribus impar  
 In te communis semen amoris erat.  
 Audierat te Roma diu, mirata loquentem;  
 Nec paruum, Romae quod placet, esse solet.  
 Seu tu Gregorium raperes è faucibus aeui,  
 Et faceres Magni viuere facta Senis:  
 Palladis aut inter praeludia prima, doceres,  
 Quanta sit à Graecis fama paranda notis.  
 In noua seu caneres mutatas corpora formas,  
 Corpora, quae sacrum versa volumen habet.  
 Quod nisi te rursus tua viuere fata negarent;  
 Tu tibi materies carminis aequa fores.  
 Versa tibi facies: quantum mutatus ab illo  
 Caesare! quam varias induis ore vices!  
 Tam citò robustum decus irreparabile sordet?

Et

Et fieri informis tam citò forma potest?  
Mutatas nunquam meminisses voce figuras:  
Effera, si nescis, Mors quoque carmen arat.  
Ipsa quoque inuersos inimica Poëtria vultus  
Et canit, & vertens, ora canenda facit.  
A te materiem didicit modò carminis, à te  
Carminis exemplum coepit habere sui.  
Mors fera, cui carmen funus, cui perfida praebet  
Atramenta crux, cui stylus ensis adest:  
Caesare si tantum delectabare, gemellus  
Caesaris, & dempto nomine Caesar eram.  
In vitae campo gradibus properauimus aequis,  
In Caelum cur me praeuoleat ille prior?  
Foedus amicitiae duo pectora fecerat unum:  
Quin & Religio fecerat una pares:  
Pallas & una pares voluit, par denique vita;  
Par, nisi quod, vita dignior ille fuit.  
Qui te dixerunt oculis & lumine captam:  
Certè dixerunt quod tua facta probant.  
Et tenebris gaudes, oculorum & munera caelas;  
Caeca videris anus, sed nihil ipsa vides.  
Caeca oculos, & caeca anima leuis umbra nocentia,  
Caeca profanatas & sine mente, manus.  
Mors fera, crede mibi, nisi tu modò caeca fuisses;  
Nunc equidem tibi pro Caesare praeda forem  
Et poteras contenta meo, licet impare, fato,  
Tam mala, tam multis parcere Parca bonis.  
Et nostra poteras laudem pro morte mereri:  
Nunc verò scelus est, mortuus ille, tuum.  
Iamque ego, peccatus iners, et inutile pondus, habebam  
Nomina vix vitae, cetera Mortis erant.  
Envocat haec vultus messis iam pallida falcem,  
Hic in fronte cinis quid nisi funus olet?

Nonnè

Nonnè vides medium vitæque necisque cadauer?  
Membraque pars animi quantulaçunque regit  
Scilicet huius erat iactura facillima vitae :

Quae, sit vita licet ; plus habet usque necis.  
Iam mibi Persephone nigram descripsérat horam ;  
Impendebat enim parua ruina domus .

Parua : minutatim nam longo ex tempore coepit ,  
Quaeque diu venit, non venit ante diem .

Ergone , sit qu. imuis mea forma simillima Morti ,  
Non placuit ? Morti displicuisse pudet .

Caesaris ingenium placuit, satiauit amantem  
Caesar, & in tumulo corpus inane iacet .

Audeat & quisquam leges mihi ponere flendi ?  
Me lugere vetat quisquis , amare vetat .

Et quoties mibi sollicito dixistis amici ?  
Fac procul à querulo pectori Maeror eat .

Si nescis, animi Magus est Dolor : ille dolentes  
Si velit, in totidem vertere saxa potest :

Sat lacrymis gemituq. datum : iam desine questus,  
Nec trahat haec Mortis una rapina duos .

Dixistis, fateor: sed non mihi dicta sedebant ,  
Nec vobis voluit Maeror habere fidem .

Ite, meae lacrymae, cineres aspergite lymphis :  
I Dolor, in tumulum pectoris ossa refer :

Sis tumuli custos, tumuli fabricator & idem ,  
O Dolor , an solem vesper, an ortus agat .

Tu mibi Phoebus eris, semperque remetiar ex te  
Sive oriente meum sive cadente diem .

Quid faciam ? Caesar tumulo iacet, ipse resurgam ?  
Nox illum obruerit , lux mihi solis erit ?

Macta illum, me laeta probent ? lacrymabile corpus  
Ille sit, & lacrymis nulla tributa feram ?

Quas ego nūc lacrymas memoro? quae funera traxerit  
Aut

## TRHENODIA ELEGIA IV. 125

Aut quibus errorum ludor imaginibus ?  
 O Dolor, o animi nigror importunus amantis,  
 Quam procul a Iesse peccatus abesse facis?  
 Carnificem mentis si quis te dixerit unquam;  
 Dictum equidem vero verius esse reor.  
 Seilicet, ut crucies animos, & somnia finges;  
 Sis natura licet, plus tamen artis habes.  
 Errabam; viuit Caesar meus . ille dolorem  
 Ridet, & ex lacrymis nil nisi causa placet .  
 Viuit, & ad vitae fontem rigat aurea vitae  
 Semina: quam cupio par mibi vena fluat?  
 Viuis: at hic moritur Castor tuus, o bone Pollux.  
 Tubello vixtor: ast ego miles adhuc.  
 Te Caelum, me terra tenet: quam disparate campo  
 Par fratrum quondam nobis e casira locat?  
 O age, meque tuo siquid iuuat, accipe Caelo,  
 Nec sit ab alterius mutua morte salus.  
 Sospes eram; fruerer cum lucis munere tecum:  
 Rursus ero sospes; cum tuus hospes era.



## IN FINEM STVDIORVM

Ad emeritos Auditores

A P O L Y S I S  
AB AVCTORE DICTA.

## ELEGIA V.



*I C A M V S bona verba bonis . la-  
bor vltimus anni ,  
Rursus ad integrum non reditu-  
rus , adest .  
O labor , expulsor veterum supreme  
laborum ,*

*Quam mihi iam dudum confaciende venis !  
Quam cupida te parte mei meliore sequutus ;  
Optavi amplexus , otia chara , tuos .  
Euenere . dies , felix Regina dierum ,  
Supplicis expleuit vota precantis opem :  
Expleuit mea vota dies , expleuit Apollo ,  
Et posito tandem pectine dixit , Abi .  
Iam rude donatus , quanquam rufis usque canendi ,  
Ad sacrum statuo garrula plectra tholum .  
Garrula sunt , fateor ; vellit mihi Cynthius aurem ,  
Huius & admonuit criminis esse reum .  
Ex illo placui nunquam mihi tempore : durum est ,  
Crede , Poetarum cedere nolle Patri .  
Cede Patri Vatum , qui saepè procacibus olim  
Dicitur ex animis elicuisse fidem .  
Ille quidem pius est ; sed , si furialiter odit ;  
Feruet , ut Aetneo redditia flamma iugo :*

Depo-

Depositaque chely, furibundum temperat arcum,  
 Temperat, & tenui profide, tela mouet.  
 Tela mouet, populis subeundae nuncia pestis,  
 Nuncia venturi funeris arma quatit.  
 Sic, ubi concreta nimborum in nocte cadentum  
 Igneus inuadit nubila densa vapor;  
 Fulgura diffilunt, tonitru Caelum omne cietur,  
 Et ferit aut Rhodopen, aut graue fulmen Athon.  
 Testis erit, Graias inter grassata cohortes,  
 Grande sagittiferi dedecus ulta lues:  
 Postquam res Cilicum, Thebanaque fregit Atrides.  
 Moenia, & Andromaches patria fumat humo:  
 Fit gradus alterius furor alter; iamque phalanges  
 Ad vicina ferus pergama vicit agit.  
 Magnanimos iam sternit equos, spolia ampla ferentes,  
 Atque triumphatis signa petita plagis.  
 Astinome haec inter, Chrysae subrepta Parenti,  
 Ibat inhumano praeda futura Duci;  
 Astinome, ante alias Domino gratissima Phoebo,  
 Cui Genitor mistum farre ferebat ador.  
 Mactabatque sacros ad sacra altaria tauros,  
 Et super infuso ter sale vota dabat.  
 Ut satis indulxit lacrymis, Chryseide rapta,  
 Praedatorem adyt, post fera bella, Pater:  
 Qualis ad accensam Thebani Smintheos aram  
 Stare solet, turbam dum iubet esse procul.  
 Vitta coercebatur tenues, de more, capillos,  
 Pendulaque hauribat taenia longa notos:  
 Insulaque ad Phrygium praetexebatur amictum  
 Lanea, purpureo sed medicata croco.  
 Vestis inaequali lambebat margine talos,  
 Ad summos una parte reducta sinus.  
 Olli candor erat, qualem componere posset,

Siquis

Siquis Arachnaea texeret arte niues.  
 Veste superformas, varioque emblemata filo  
 Docta Mineruali dextera pinxit acu.  
 Vera putes, quae picta vides; animata recursant  
 Pensa, nec à muto stamine sensus abest.  
 Haec oblamys antiquas Phoebi descripta figurās,  
 Artificiū textu facta cruenta docet.  
 In medio Python spiris ingentibus orbes  
 Voluit, & explicitus in sua membra redit;  
 Et graue secreto deducit pectore virus,  
 Et vomit in Caelum, quas creat ore faces.  
 Iamque solum latē subiectis ossibus albet,  
 Prata latent fasis mersa cadaueribus:  
 Ecce tibi, extento Latonae filius arcu,  
 Vleurus charae damna Parentis, adest.  
 Sortitusque oculis iustum, Pythona sagittis  
 Appetit, exsuperat squamea terga chalybs.  
 Parte alia intextae surgunt in stamina Musae,  
 Atque ora ad cantum vix tacitura mouent:  
 Mentitasque fides digitī, pulsusque lassunt  
 Non responsuram serica plectra lyram.  
 Haec vestem simulacra notant: nec dicere possis,  
 An subsistat iners, an moueatetur opus.  
 Interea Chryses vittas, & seriagerebat,  
 Sanctaque Apollineo sceptrā reuulsa tholo.  
 At non sceptrā senem, sed iuuit Apollinis arcus;  
 Hic potuit, quidquid non potuere preces.  
 Scilicet irato Chryses Agamemnone pulsus,  
 Ad tua securus limina, Phoebe, venit;  
 Imploratque fidem, per siquos impulit unquam  
 Stare coronatos ad tua Sacra boues.  
 Audit Arcitenens è Caeli parte precantem;  
 Quamque recollectus non tulit ira modum.


Et

Et iam tela rotat nimirum sitibunda cruoris,  
 Tela Agamemnonios depopulata Duces.  
 Ut primum Zephyros hausit lethalis arundo,  
 Intulit in tauros sanguinolenta necem:  
 Mox etiam latus animalia fusa per herbas,  
 Stravit anhelanti saucia facta lue:  
 Ultima pestifero tabes inimica veneno,  
 Fortia Graiugenum peiora fudit humo.  
 Omnis ad interitum sine lege relabitur aetas;  
 Saeva rapit iuuenes, & rapit aura senes.  
 Iamque sepulcrales tellus negat ossibus urnas,  
 Et negat arsuros caedua silua rogos:  
 Nil nisi congestum spectatur funere funus,  
 Nil nisi combustae, lata per arua, pyrae.  
 Nec prius est numero caedes satiata cadentum,  
 Quam dederit Phoebo Graecia victa manus:  
 Victa manus dedit, & Chryseis reddita Patri,  
 Dura Mycenaeo reppulit arma solo;  
 Reppulit, & facies risit mitissima Caeli,  
 Deseruit segetes & sata maesta lues.  
 Talia neglectus dedit omnia Phoebus Achiuis;  
 Et multo paenam foenore culpa tulit.  
 Ab procul binc lethale malum: tua, Phoebe, veremur  
 Tela, procul nostro de grege pestis eat.  
 Quandoquidem tumet pecori, pecorisque magistro  
 Pascua, descripto limite, plena locas.  
 Sunt tua, felici composta noualia campo,  
 Et tibi perpetuis messibus albet ager.  
 Hic tibi nascentur scripti tua nomina flores,  
 Et Domini ingenium fertile, fundus habet.  
 Quod si par coleret sola fortunata colonus;  
 Cyrrhaeis fierent inuidiosa iugis.  
 Nunc tamen, ut vitium fateor, sic deprecor omen,

Cultorem accusat, si bona peccat humus.  
 Iam quater aestuas numeravit messor aristas,  
 Pressa quater pleno ferbuit vua lacu:  
 Cum mibi seruitum sensi, Dominumque paratum,  
 Et dedi Apollineo libera colla iugo.  
 Nunc optata ferar quamuis in pascua liber,  
 Vix benè libertas illa reperta placet.  
 Sic tener, ex vsu, patiens fit taurus aratri,  
 Et grauis ille licet, fit leuis arte labor.  
 Quid facerem? si me nascentem amplexus Apollo,  
 Fae, ait, in primo carmina laete bibas.  
 Quin etiā, ut perhibent, nostra incunabula circum,  
 Dicitur Ascreaeus peruolutasse chorus:  
 Docta que veridicos animasse in carmina nervos,  
 Carmina, perfidia non subitura notam.  
 Haec ego non memini; sed facti conscientia nutrix  
 Rettulit, astarem cum puer ante focum.  
 Ante focum nutrix operoso intenta labori,  
 Aptabat laeua garrula parte colum:  
 Inque apicem glomerabat opes, mollissima lini  
 Pensu, leues nebulas, & sine luce niues.  
 Pendula mox tereti ducebat stamina fuso,  
 Et saepè apposito dente domabat opus.  
 Et pensi vitia allambens haerentia labris,  
 Mordebat, squam lina tulere notam.  
 Fila coaequabat digitis firmata supinis,  
 Pollicis & proni turbine torta dabat.  
 Hic adeò intendebat, iners ad cetera, mentem;  
 Tamque operi vigiles iussit adesse manus;  
 Ut non liciolem telae, sed stamina vitae  
 Nere videretur addita Parca tribus.  
 Tunc mibi fabellis mulcebat anilibus aures,  
 Quas sibi narrasset Pious ad Exequias.


Aptus

Aptus ab emerita pendebam voce loquentis,  
 Haec in me solum ad carmina, sensus erat.  
 Solum index vitae fuit aura reciproca cordis;  
 Haec quoque per mutas ibat ab ore vices.  
 Ergo semel, praeter solitum, blandissima risu,  
 In me conuersa lumina fronte tulit;  
 Et, velut acta novo violentae Phoebados oestro,  
 Defixis oculis haesit in ora diu:  
 Donec abundantem rupit de pectore sensum,  
 Et tales placida miscuit arte modos.  
 Quid teris ad cinerem, cura ò mei maxima, vitam?  
 Non bene conueniunt otia rebus, ait.  
 Sume pares animos: cum mox adoleuerit aetas;  
 Te, Puer, exspectat non puerilis honor.  
 Omnes vel referat veteres rota temporis annos,  
 Vel sifstat celerem tarda senecta gradum.  
 Inque meum quandoque oriens tuus incidat aeuum,  
 Et capiant oculi gaudia tanta senes.  
 Accipe, quae nuper rerum miracula vidi,  
 Vidiego, sic Titan crastinus illa probet.  
 Iam tibi sidereus spirantis anhelitus oris  
 Vitales dederat ducere posse vices:  
 In primo vitae ingressu mibi creditus infans  
 Lallasti denos, sub mea iura, dies.  
 Nocte super media, cum iam tibi somnus ocellos  
 Clauerat, & tenuis presserat ora quies:  
 Adfuit ad teneras ante hac incognita cunas  
 Turba, nec ingressis perstrepere fores.  
 Tu sopita quidem laxabas lumina somno,  
 Sed tua, te propter, aduigilabat anus.  
 Emicui ingressus, oculisque atque auribus haesi,  
 Excantatrices docta timere manus.  
 Dicebam; viden, ut cunas mala Saga frequentat?



Quis scit, an & puer sit nocitura meo?  
 Ut tamen inspexi propiore pericula vultu;  
 Non video laruas, quas putat esse timor.  
 Non species, qualis Sagas decet: illa rigebat,  
 Non inerat vetulis pallida ruga genis:  
 Non emissit y oculis, faciliue rotatu,  
 Aut niue dilutis candiore magis:  
 Fronte nec obducta, furibundae nubis amictu,  
 Atque supercilio paenè loquente dolos.  
 Quin color ingenij viridis, quin mentis honestas,  
 Et placido in vultu totus agebat honor.  
 Qui lepor ex oculis, nitidis quae gratia labris?  
 Dulce verecundi qui modus oris erat?  
 Neglecti crines, sed neglexisse decebat;  
 Artis habent pretium, sed tamen arte carent.  
 Clara Mineralis praecingit tempora laurus;  
 Vnus hic in nitido vertice cultus inest.  
 Non ego bis quinis, quae viuens lustra peregi,  
 Par opus huic vidi, progeniemque parem.  
 E quarum numero cytharam tulit una Sororum,  
 Et vocem ad tenues est modulata fides.  
 Auditos olim numeros, & verba tenebam;  
 Nunc vereor fragili lapsa cadant animo.  
 Scilicet est impar factis iuuenilibus aeuum,  
 Cui memor in sterili pectore sensus hebet:  
 Et senium expungit simulacra veterrima rerum,  
 Quae steterant alta mente reposita diu.  
 Incipiam tamen, & quamuis non omnia tangam;  
 Dicere, quae memini, sit mihi pauca satis.  
 Ergo loquituras facundo pollice chordas  
 Postquam consuluit, praecinuitque lyra;  
 Denique conuerso, puer, in tua lumina vultu,  
 Plectra tulit tales inter eburna modos.

Dormi



Dormi, noster Amor : sic te tua prouehat aetas,

Alma quies puerum sopiat, alma senem.

Non tu, cum teneros aetas grauis exuet annos;

Castali⁹ viues ultima cura chorū.

Saepe triumphales lauros, bederasque disertas

Mordebis, docto pabula nota gregi:

Saepe sitim pellet tibi fertilis Hippocrene,

Et fluet è vena liberiore liquor.

Forfitan haud tenui libratus in aëra penna,

Maior humo, superas inter agere plagas.

Feruida seu mauis moliri fulmina linguae,

Arcere & trepidos ad tua verba reos;

Sive per umbrosas libeat deuoluere ripas

Eloquium; puro purius amne fluet:

Et cadet excusso celeris sententia torno,

Quam grauis excipiet sive iocosa charis:

Seu iuuat in numerum volucres astringere voces,

Et trahere Aonio carmen ab usque iugo;

Par erit ingenium cunctis: sed & omnibus impar;

Si mala desidies fascinet ingenium.

Desidies, mihi crede, magis quam Saga nocebit.

Haec totidem in truncos vertere membra solet.

Ne palpere, puer, caue formidabile monstrum;

Frangit adulando pectora, melle necat.

Te tamen auspicijs melioribus astra referuant,

Fac age torpescant otia tarda procul.

Tempus erit, cum clara tui concordia cantus

Usque Cytheronis lapsa sonabit aquis.

Calestes humano animas tum carmine tolles,

Vna quibus superas scandere cura domos.

Ante alios Solymae nascentem in walle vellam,

Quae Diu⁹ casio ventre revondat onus.

Lugebis Vitæ artificem, Regemque dolorum,

Quem dedit Isacidum turba cruenta neci:  
 Lugebit pullum, gemitus te dante, Lyceum,  
 Et paries doctas effluer in lacrymas.  
 Mox personatas versu insebatere larvas,  
 Quae faciem, forma dissimilante, negant.  
 Vendentesque humilem, per oömica pulpita, vocant;  
 Et qui fidereum fune tuentur iter.  
 Et turpes securras, & odoris equos parasitos,  
 Et si quae Dominus monstra Lyaeus habet.  
 Te dicente, super numerabitur Heroinas,  
 Margaris Hespry maximus orbis amor:  
 Margaris, Austriadum non ultima gloria regum,  
 Fati immatura diripienda manu.  
 Quin etiam audebis grandes vestire cothurnos,  
 Et Tragico implebis docta Ibeatra sono.  
 Plorabis Ionatam crudeli morte peremptum,  
 Et male conquestos foederarupta Duces:  
 Spesque patris geminas, & dulcia pignora natos,  
 Patre cruentari prospiciente, auos.  
 Membraque nolentem temerasse innoxia Mortem,  
 Corporeque in paruo vix habuisse locum.  
 Qui tibi tum sensus, cum respondentे Theatro,  
 Aspicies plausus, sed sine voce, dari.  
 Solum oculi plaudent sua luctu sensa fatentes,  
 Magnus erit, lacrymas continuisse, pudor.  
 Tu quoque Threicias agitabis carmine classes,  
 Et discos patriae consulere historiae;  
 Et coniuratas triplicato foederare gentes,  
 Et data narrabis terga inimica fugae.  
 Mortiferasque pilas, tempestatemque cadentem,  
 Et bene vibratos aere tonante globos:  
 Distictasque rates, interque natantia fluctus  
 Corpora, & irato vela refusa mari.

Cresce age, noster Amor; non hic tibi meta canendi  
 Crede, erit haec aetas ad meliora gradus.  
 Sic ait, & vocem subito Cytharistria pressit,  
 Plura licet dictis addere vellet adhuc.  
 At tibi parua, puer, reserauit lumina sompus,  
 Coepisti ad dulces ora mouere modos.  
 Tum vero (infelix) velut indignata videri,  
 Deseruit maestam turba diserta domum:  
 Deseruit, secumque tulit fugitiua meum cor,  
 Ab tua cursu soluit tam citu membra sopor.  
 Nuper ego haec vidi: quae sint ea visa volebam?  
 Scire, nec inuenit spes male cauta fidem:  
 Esse puellarum genus acre, & nobile canta,  
 Narrare antiquus saepè solebat auus:  
 Illas diuino censeri nomine Musas,  
 Et colere Aonias, rura beata, plagas.  
 Forsttan hae cunas circum duxere choreas,  
 Et tibi venturos praecinuere dies.  
 Quidquid id est, audita olim meminisse iuuabit.  
 Verba, Sybillino carmine vera magis.  
 Concipe magnanimas puerili peccore vires,  
 Est hoc ingenij magna minantis opus.  
 Spero equidem, nec vana fides mea gaudia turbat,  
 Sic tua tum Virtus spes velit esse ratas.  
 Haec ad me nutrix. sed non ego credulus illi;  
 Saepè sibi fingunt somnia vana senes.  
 Cumque aetas properat bisserum claudere lustrum,  
 Delirat veteres ut sub aratra boues.  
 Vera tamen quis multa neget? specacula multa,  
 Pluraque, quam nutrix est meditata, dedi.  
 Vos ego nunc testor solitos audire canentem,  
 Atque aliquid nugas esse putare meas.  
 Cernitis, ut superant nostri vestigia cantus,

*Constantemque facit pendula charta fidem.*  
*Exitus hic rerum, cantandi hic terminus esio,*  
*Sit posthac ultrà praeterisse, nefas.*  
*Nos alio mentes, alio conuertimus annos,*  
*Interdum satiant quae placuere diu.*  
*Semper ego humanae consistam in margine ripae*  
*I demum, in Superos tende bisformis iter.*  
*Ibo libens, vos chara olim mibi rura valete,*  
*Celsor humano vertice in astra feror.*  
*Hic mibi Diuinos libeat perdiscere mores.*  
*Quis certa mundum temperet arte DEVS:*  
*Vt sit idem triplex, quod Numen dicitur unum:*  
*Vt benè conueniens forma sit una tribus.*  
*Vixerit aeterno proles aequa Parenti,*  
*Spirarit gemino è Numine Numen Amor.*  
*Spiret Amor Patri, N atoque simillimus idem,*  
*Aequarit sese par in utroque Pater.*  
*Quis triplici è nexu patrijs descenderit astris,*  
*Et se Virgineo clauerit in gremio:*  
*Et Puer, & Deus, humani sub imagine vultus,*  
*Soluerit antiquos nomine fontis Auos.*  
*Siderei Proceres fuerint quo tempore creti,*  
*Cui statuant superos agmina mille choros:*  
*Concreto ducant immistam corpore vitam,*  
*An sine mole animas spiritus auctor alat.*  
*Vis eadem socijs, natura fit omnibus una,*  
*Inspecto videant tempora nostra DEO.*  
*Quae desertricem violarit culpa cobortem,*  
*Et luere aeterno iussurit igne malum.*  
*Haec mibi sunt discenda, nouas dum mutuor alas,*  
*Et volucri Caelum metior ingenio.*  
*Interea vos, ò quibus insudauimus annum,*  
*Viuite, sed memores, secula longa, mei.*

Hactenus indulsi vobis, mea cura, laborem;  
 Quamquam in vestra labor commoda, ludus erat.  
 Nec placui, fateor; quid enim mea damna recusem?  
 Non est aegroto dissimulanda lues.  
 Multa quidem de me nutrix oracula finxit;  
 Multa etiam tempus vera fuisse probat:  
 Sed, quod erat demum memorabile, callida pressit.  
 An quia, quisquis amat, sponte timenda tegit?  
 Debuit hoc dictis attexere; me fore quondam,  
 Dicere qui possem multa, placere parum.  
 Verum ego ni placui, satis est meruisse volendo;  
 Parcite, quod debet parcere quisque sibi.  
 Solabor proprium communis sorte dolorem,  
 Publica nec memet fata subire pudet.  
 Extremum hunc, Elegia, mibi concede furorem;  
 Ut facili aspergam seria dicta ioco:  
 Et, quemuis non sat dicaris idonea ludo;  
 Te semel arbitrio ludicra finge meo.  
 Accipite haec animis, quoniam vacat; & sua discat.  
 Somnia, si quis amat omnibus esse satis.  
 Forte parens gnato comitatus agebat asellum;  
 Hic puer inualidis viribus, ille senex.  
 Risit, ut aspexit vicini ruris arator,  
 Carpere dorso animal liberiore viam.  
 Cum tamen, immodos agitator vterque per aestus,  
 Vix traheret crebro corpora fessa gradu:  
 Gnatus aratori morem gerit; emicat oltrò,  
 Iumentique sui terga subacta premit.  
 Alter adestr, iuuenemque vehi miratur, & odit;  
 Ire gradu miserum languidiore Patrem.  
 Audit haec genitor, dictisque assensus amicis,  
 In dorsum, nato desilente, micat.  
 En aliis; Puerumne tuum laniena moratur?

Sic-

Siccine vaenalem mi<sup>r</sup>etus, inquit, habes?  
 Annuit ille, iubetque vna consendere natum;  
 Iamque grauat mitem pondus utrumque feram,  
 Obuius hanc aliis miseratur: &, O pudor, inquit:  
 Bellua, nonnē vides, vt vehit vna duas?  
 Quid faciat genitor? partes se versat in omnes,  
 Si queat errantum comprimere ora virum.  
 Desilit, & vectorem ipsum resupinat arena,  
 Induit & iunctos in bona vincula pedes:  
 Et, quoniam toto passim obiurgante Senatu,  
 Vix ullum potuit ferre; feratur, ait.  
 Nec mora, transuerso per dura ligamina conto,  
 Insolitum iuuenis cum sene portat onus.  
 Scilicet exultant tanta ad spectacula ciues,  
 Vnde conueniunt, ore vomente iocos;  
 Urbanosque sales, opprobria rustica miscent,  
 Excordem puerum cum seniore vocant.  
 Inde redardescit patri furor; & mibi paenas  
 Interea, dixit, bellua vincita dabis.  
 Semper ero pro te populari obnoxius irae?  
 Pondere te nostro: nos, age, solue tuo.  
 Dixit, & intrepidum de culmine montis asellum  
 In propè labentes praecipitauit aquas.  
 Hic finis asini fatorum, hic exitus illum,  
 Qui sperat multis posse placere, manet.  
 Fabula narratur, sed non & nomina de me:  
 Nec sumus his titulis turba minuta pares.  
 Nempe probaturos alijs quam gessimus artem  
 Egit inexhaustus semper, agetque labor.  
 Vicini laudator agri quam rarus & bonorem,  
 Quem tribuit, credit quisque perire sibi.  
 Tantum aliena suo metitur commoda sensu,  
 In quibus ipse etiam liuet & odit honor.

Quot chartae nigra signa gerūt ? quodcūque volumē  
Attritas facies vngue legentis babet .  
Mancipium cœ turpe , notas & stigmata praefert ,  
Nescio quid serui , Diua Poësis olet .  
Musarum census nunquām censore vacabit ,  
Doctrinaeque penus , paena fit aeris hero .  
Hic amat eloquium faciliteruoluble cursu ,  
Huic tenuem in nodum verba coacta placent :  
Quot voces alij , totidem mysteria poscunt ,  
Atque etiam punctis numen inesse volunt : VI  
Simplicitas alios delectat candida linguae ,  
Nec mendicatis culta Minerua bonis .  
Raro conspirant animi . cui sensa palato  
Dulcia respondent ; rursus amara nocent .  
Oderunt melimela alacres , quibus aspera cordi ;  
Et quae nouit acu pungere , lingua sapit .  
Abruptus sermo propriam si vendicat artem  
Defensore suo ; non tamen hoste caret .  
Sunt , quibus è Caelo deducta tonitrua vocum  
Detineant aures , quas leuis aura fugat .  
Nemo unus punctum omne tulit , licet utile dulci  
Misceat , & tria sub pectore corda gerat .  
At quodcunque animo plebs improbat , ore lacepsit ,  
Nec facile arbitrii sensa reposta premit .  
Nos , quorum commenta leui ludibria vulgo ,  
Et turbata notis carmina saepè volant ;  
Non ultrà populare malum patiemur inulti ,  
Cedimus , & gratis iam pudet esse ioco .  
Ars mea , si me audis , exemplo mitis aselli ,  
Tu quoque lethæo præcipitere vado .  
Sic vulgi posthac clamore carebimus ambo ;  
In medio ranas mitius amne feres .



# POESIS LYRICA

## NASCENTI IESV MONODIA

### ODE I.



*OLLIS ò Amor aurei  
Gultor, aethereum genus,  
Huc ades bonus, & bonam  
O age facem,  
O age fidem.*

*Facem, qua tenebras moues  
Ultra Cimmerias plagas,  
Et Solis profugum iubar,  
Si nocte vocas;  
Et nocte redit.*

*Fidem, qua Superos cies,  
Et Caeli volucres fugas  
Cantu fistis amabili:*

*Numenque feris,  
Si forte furit.*

*Huc ades, bonus Aliger,  
Fronte, qua nitidum soles  
Serenare meridiem.*

*Sic*

Sic DEVS iubet,  
 Sic Puer iubet.  
 Puer sidere pulchrior,  
 Et pellucidior vitro,  
 Dia cui nota Numinis,  
 Paternus apex  
 In fronte sedet.  
 Ille, dum placido imperat  
 Nox facunda silentio;  
 Exspectata diutius  
 Tollit lumina  
 Materno sinu.  
 Sic nocturna latet rosa;  
 Matutina recluditur:  
 Sic concha maris Indici  
 Inclusa diu  
 Mox bacca fluit.  
 Sic Sol manè renascitur,  
 Deque alti gremio maris  
 Exit purpureus puer,  
 Inuestus equis,  
 Et lotus aquis.  
 Viden' Nazareo in solo,  
 Inter prata comantia,  
 Inter saxa rigentia,  
 Ut saeva feras  
 Spelunca fouet?  
 Hic amoena crepuscula,  
 Viui semina luminis;  
 Hic amabilior latet  
 In nocte dies,  
 In die D E V S.  
 Infans Regius hic latet,

Sum-

*Summi progenies Patris,  
Matri delictum integræ,*

*Pura brachia,*

*Nuda pectora*

*Horrenti in stipula locat.*

*Hic natalitio in thoro,*

*Par solis thalamo incubat,*

*Foenumque leue,*

*Coenumque graue,*

*Et tristes by:emis vices*

*Per nostrum patitur scelus.*

*O beata necessitas!*

*O caecus Amor,*

*Quam dulcè vides?*

*Infami tegitur specu,*

*Paruo in gramine conditur:*

*Sed vides, ut inardeat*

*Duro in gramine,*

*Turpi in carcere?*

*Sic nigro solet in luto*

*Saepè luxurians onyx,*

*Aut carbunculus occuli;*

*Pressusque licet,*

*Mersusque licet,*

*Lucet ambitiosius.*

*Sic praenuncia fulminis*

*Flamma inclusa valentius*

*E nube micat,*

*E nube tonat.*

*Qui vultu lepor innat?*

*Quae genis Charites sedent?*

*Quam micantia sidera?*

*Quam chara omnia?*

*Quam*

Quam pulchra omnia ?  
 Intactis viden' in genis.  
 Mistas parthenice rosas ?  
 Viden labra corallina,  
 Niuesque pedum,  
 Eburque manum ?  
 Nam fidos quid ocellulos,  
 Quid supercilium loquor;  
 Quo Caelum graue sustinet  
 Imumque solum,  
 Vdumque salum ?  
 Vide candidulos sinus,  
 Vitae perfugium meae,  
 Cordis hospitium sui.  
 Vide tempora,  
 Vide pectora.  
 Nibil, crede mibi, vides:  
 Sunt pulcherrima quae latent.  
 O si rimula pectoris  
 Cor exprimeret,  
 Cor tenerrimum !  
 Quae spectacula cerneret !  
 O cor, semen amantium !  
 O punctum orbe capacius !  
 O nidum meum !  
 O nodum meum !  
 Sed haec scena reconditur:  
 Sunt nobis adyta inuia,  
 Quae soli Pueri patent.  
 Sat corda videt  
 Qui corde gemit.  
 Tu redi ad Pueri latus,  
 Aulae sipparium intimae,

Ad

*Ad dulces animi fores.*  
*Hic sige gradus,*  
*Hic vota praei.*  
*En, ut brachiolis micat,*  
*Atque eburneolas manus*  
*Ad Matrem bonus explicat;*  
*Ridetque pius,*  
*Ploratque pius.*  
*Intercede licentius:*  
*Et parui oscula Numinis,*  
*Quae Matrem cupidam appetunt,*  
*Chara vulnera*  
*Laetus excipe.*  
*Aude, mi cor, & ictibus*  
*Oris pungere viudi,*  
*Puris stringere brachys:*  
*Et luminibus,*  
*Et fluminibus*  
*Irrorare liquentibus.*  
*O quae gaudia concipit*  
*Despumata doloribus!*  
*Quae dona capit,*  
*Cui vita sapit!*  
*At iam delicias suas*  
*Deponit gremio Parens:*  
*At iam fasciolis tegit.*  
*Heu! Solis opes*  
*In nube latent.*  
*Tenerescite grama*  
*Attactu teneri D E I;*  
*Cui Caelum in lacrymas abit:*  
*Et lacte pluit,*  
*Et melle fluit.*

Par-

Parce flatibus Aeole,  
 Ventorum leuis arbiter,  
 Cadentum sator imbrium,  
 Antrisque cauis,  
 Caecisque iugis.  
 Immites animas preme.  
 Bono neu' Puer o noce:  
 Si nescis, Puer est *DEVIS*,  
 Matre senior,  
 Nec Patre minor.  
 Heu! venti lacerant preces  
 Persurdas precibus plagas.  
 Castigatur inertia,  
 Caurusque volat,  
 Eurusque volat:  
 Et, facto velut agmine,  
 Infantis teneri sinum  
 Duro frigore sauciant.  
 Ab furor, furor!  
 O dolor dolor!  
 At ille in niuibus iacet,  
 Prima candidior niue,  
 Dum saeuis Aquilonibus  
 Prata frigida,  
 Stagna rigida  
 Preso conglaciant gelu,  
 Rides, Diue, flagrantibus  
 Recreatus amoribus,  
 Cordisque face,  
 Orisque vice:  
 Et spirantis anhelitus  
 Dulci flamine temperas  
 Inclemencia frigora.

*O suspiria*

*Eloquentia!*

*Inflammbras byemem asperam,*

*Atque ardere gelu doces.*

*Aurae, dum tibi saeuiunt,*

*Rigendo calent,*

*Calendo rigent.*

*Nam tu saeuitiam imperas*

*Imbribusque cadentibus,*

*Procellisque minantibus:*

*Has flare iubes;*

*Te flere iuuat.*

*Nam fletus dolore elicit,*

*Quos venii quoque congelant,*

*Amant fugere gaudia*

*Liquidissima*

*Rigidissimi.*

*Sed quae somnia conqueror?*

*Dolor ludus amantium est.*

*Nec expers emitur bene*

*Doloris Amor,*

*Amoris Dolor.*

*Sic est, cum dolet hic Puer,*

*Amat, credite posteri.*

*Ipse carnificem prior*

*Inuenit Amor,*

*Idemque tulit.*

*Ergo tristis byems age,*

*Adfutura suauior;*

*Si crudelior inferes*

*Dura spicula,*

*Saeua vulnera.*

*Huc crudas animas Noti.*

*Vos*

*Vos spirate furentius ;  
Hic dolebit amantius :  
Sic Dolor iubet ,  
Sic Amor iubet .*

---

VIRTVTES  
VRBANI VIII. PONT. MAX  
AD MODOS DICTAE  
inter Philosophicas  
MARCHION. SFORTIAE PALLAVICINI  
concertationes

*In Colleg. Rom. Societatis I E S V.*

## FELICITAS

Drusi Imperatoris, Apum augurio victori-  
am diuinantis, pari omine repetita ,  
rursumque sperata .

## ODE I. I.

**I**RVS E, vincendum . viden' arma  
circum  
Stare festiuas A P I V M cohori-  
tes ?  
Surge, quid cessas dare militari  
Praelia dextrae ?  
Agmen è Caclowenit auspicatum ,

*Prosperum pugnae redeuntis omen;*

*Alitem pasto Ioue decidentem*

*Excipe Caesar.*

*Ille Romanam vebit ore laurum*

*Ales & pugna bonus, & triumpho;*

*Pacis inuictae, mediusque belli,*

*Aptus utroque.*

*Sive sit vitae sapor eliquidus,*

*Roris & puri fabricanda merces:*

*Mole membrorum minor, arte maior*

*Daedalon aequat.*

*Primus in campo labor: hic minuto*

*Consulit rostro genus omne florum:*

*Hic leues succos, animaque libat*

*Virginis aurae.*

*Inde mellorum vice functus Ales*

*Conuebit viuax onus ad paternas*

*Aluei sedes, ubi regna seruant*

*Mellea plebem.*

*Artis hic mirae faber officinam*

*Roris exercet, resticitque cellas;*

*Hic pavimentum locat, imprimendis*

*Otia ceris.*

*Tumfauos succo grauat, & fluentem*

*Stillat Auroram, liquidumque Caelum:*

*Mel vocant vulgo; tamen est liquefici*

*Lacryma Solis.*

*Roris at puri pretiosus auctor,*

*Melle pacato fera bella miscet,*

*Nectar in pratis legit, & venenum*

*Nobilis irae.*

*Nescias, utro magis expeditus*

*Regnet in campo; necis, an roscarum:*

Mar-

*Martis, an Florae melior labori:*

*Mollis, an asper.*

*Ore quo pacem gerit, arma tractat:*

*Vulnerat telis, quibus osculatur:*

*Aptat ad flores hebetatque fulmen,*

*Promit & abdit.*

*Mitis in ciues, ferus in rebelles,*

*Pellit ignavum pecus; acre pascit s*

*Cum vacat, miles catus; & senator,*

*Cum vocat usus.*

*Caesar, hic faustum tibi portat omen*

*Alitum nimbus. meditare praesens*

*Martis exemplum, simul & futurae*

*Omina pugnae.*

*Non tibi solum fauet haec volantum*

*Turba, fortunae melioris index.*

*Me quoque in partem vocat augurandi*

*Regius Ales.*

*Qui solum Solis colit, astra libat,*

*Semper ardentis populator horti;*

*Vnde mel vitae trahit, & colore*

*Diuitis auri.*

*Nam mihi Caelum quoque BARBERINVM*

*Promit VRBANAS APIVM cateruas,*

*Maius Hyblaeis genus, & vireto*

*Caelite pastum.*



SANCTIMONIA  
PRINCIPIS NOSTRI

Apibus Ambrosio mellificantibus  
explicata.

## ODE III.



*Tu, supremi Filia Pectoris  
Virgo, minorū maxima Virginum.  
O mentis heres sempiternae  
Religio, pia mater aequi.  
Foecunda nutrix ritè colentium,  
Pacata vindicē crimen amantium,  
Mensura sancti, mēta recti;  
Supplicij mora, lex sacrorum,  
Matrona Virgo, blanda ferociter,  
Mitis seuerē, laeta viriliter:  
O fortis expultrix Deorum  
Foeda sibi sacra vindicantum.  
Accede laetis, & pede prospero  
Insanientem subde proteruitam  
Orci minantis, cui paternus.  
Vana supersticio est triumphus.  
Malè ominatis parce negotijs;  
Vides, ut Ales nectaris artifex,  
Interpres astrorum fidelis,  
Melle suo tua Regna format?  
Saepè & futuri praeuius impetus  
Latet, nec ardet: vidi ego conditum  
In rebus angustis, & oestro  
Exiguas animas agentem.*

Sed

Sed lingua peccat : quippè negauerim  
 Angusta rerum pectora , moenibus  
     Inclusa membrorum minutis ;  
     Verum animis habitata magnis .  
 Et parua quamvis Ales Hymettius  
 In membra crescat ; credite longius  
     Ventura tangentem sagaci  
     Mentis acu , tenuique sensu .  
 Testis Latinae filius Albulae  
 Proles Quiritum, sed Pater Insubrum  
     Antistes , & custos sacrorum  
     Ambrosius , domitorque Regum .  
 Centum futurus mox Puer artium  
 Cunis agebat tum leuioribus  
     Vitae rudimentum recentis ,  
     Et placido dabat ore somnos .  
 Apum propinquus forte manipulus  
 Adest , ut alta fronde pependerat :  
     Vuamque ramo conglobatam  
     Agmine liberiore soluit .  
 Mox ad iacentis parua cubilia  
 Vel altor errat nobilis ingeni ;  
     Praetorianus siue miles  
     Dulce latus Pueri coronat .  
 Errore circum ludit amabili :  
 Ad labra donec conuolat ; ambigas  
     An turma decerptra rorem ,  
     An potius positura currat .  
 In ora demum simplicis Ambrosi  
 Se condit , hic mel fabricat , hic fauos .  
     Quis posse misceri per artem  
     Nectar in Ambrosiam negabit ?  
 Nec tam beatis oraliquoribus

*Asperfit Ales, quam iuuenilium  
 Signauit annorum tenorem  
 In Puerō, geniumque mentis  
 Emancipatae religionibus  
 Intaminatis, & pia fulmina  
 Linguae cruentantis rebelles  
 Romuleae Pietatis hostes.  
 O censor ingens orbis, & ò Pater;  
 Viuax colentum norma Quiritium,  
 VRBANE, sacrorumque Princeps;  
 Cui Pietas dedit ipsa regnum!  
 Signauit olim stemma domesticum,  
 Gentilis Ales, conditionibus  
 In anteceſsum destinatis,  
 Te fore, qui graue pondus Orbis,  
 Et Vaticani sidera verticis,  
 Celsa leuares mole supercili;  
 Caelumque Virtutum moueres  
 Consilio, regeresque nutu.  
 Venere: iam te Religionio premit  
 Imposta dorso, iam tibi Romulus  
 Incubit axis: disce Mundum  
 Ferre nouum Latialis Atlas.*



SAPIEN.

S A P I E N T I A  
P R I N C I P I S N O S T R I

Apibus Platonis altricibus  
exaequata .

O D E I V.



Prae iudicio nota Platonico ,  
Ales, Cœropij nectaris artifex ;  
O florum populatrix ,  
Quantò nunc sapi amplius :  
Cū Romæ Dominū pectus amabili  
Permulse animae dulcis anbelitu ,  
Atque in mella liquatum  
Stillas cor Sapientiae !  
Sic olim Puero , cui genus Atticum ,  
Sed Virtus patria diuite ditior :  
Succum mobilis auræ  
Inter labra refuderat .  
Quà consanguineus veris Hymettius  
Halat perpetuis hortus honoribus ,  
Nato diues Ariston  
Musis thura parauerat :  
Et Nutrix aderat , Mystra litantium ,  
Aspersura sacris frugibus hostiam :  
Infantemque Platonem  
Depulsum tenero sinu ,  
Et pondus gremij dulce , locauerat  
Inter Cyprigenae brachia Virginis :  
Quà sub cespite Myrtus  
Incunabula praebuit .

Maio-

*Maiorem meritis, nec sibi debitum  
 In Myrto tenui viuere flosculum,  
 Admirata volantum  
 Sensit progenies Apum.*  
*Sensit, nec tenerum curat amaracum,  
 Non calthas nemorum, non thyma collium;  
 Regnum dulce rosarum,  
 Vnum sat Puerum putat.*  
*Huc ergo cupidis lapsa volatibus  
 Praedatrix nitidae Chloridos emicat,  
 Despectisque viretis,  
 Viuam partheniceen colit.*  
*Hic flatus animi dulcè reciprocos,  
 Spirantis zephyros adhibbit hortuli,  
 Hic molles hyacinthos,  
 Hic dulces violas legit.*  
*Huius labra petit plena corallis,  
 Atque os, vestibulum pectoris obsidet.  
 Instillatque liquores  
 Ad cor usque volubiles.*  
*Hinc illud Puerto mel Sapientiae,  
 Et praefians animae diuitis impetus;  
 Cui Natura gemellam  
 Nunquam viderit indolem.*  
*Tantum fatidici Numinis insidet  
 VRBANIS APIBUS: tam benè digerunt  
 Puri pabula Caeli,  
 Et commercia siderum.*  
*At tu Romulidum maxime Principum,  
 Cui gentilitiae mellificant APES;  
 Cui cor nectare complent,  
 Et vena grauis ingeni:  
 Me patrocinio pectoris excipe,*

Et

Et permitte APIBV<sup>S</sup>, me quoque melleo  
 Spargant rore, tuique  
 Succo nectaris allinant.

ELOQVENTIA  
 PRINCIPIS NOSTRI

Pindarum melle pastum assecuta.

ODE V.

**D**VLCIS ardor, aura mollis,  
 Os suave cordis oesfrum,  
 Otium negotiosum,  
 Somniumque, noctis expers,  
 Vena cursitantis vndae  
 Ad fluenta pectorum!  
 Virgo, montis hospitatrix,  
 Inquilina Virgo fontis,  
 Sed frequentius relicto  
 Fontis imbre, montis umbra,  
 Gaudet esse doctiorum  
 Inquilina mentium.  
 Laureata Virgo crines,  
 Et manum canora plectro;  
 Quo rebellis ira ponit,  
 Mitiorque surgit ardor,  
 Cuius arte belluinus  
 Mansuecit impetus.  
 O medulla Gratiarum,  
 Multiforme cor Suadae,

Mite

*Mite robur, acre pectus,  
Vox catenulis sonora,  
Lingua diues, imperatrix*

*Eloquentis ingenii.*

*Cerne melleas Volucres,  
Quà serenus ore Puber  
Pressat arua, captat auram;  
Perque viua regna florum,  
Flos amoenior beatum*

*Spirat, haurit otium.*

*Pindarus lyrae tyrannus,  
Atticaeque cycnus undae,  
Puber inuidendus hic est:  
Sole qui meridiano  
Sola per vireta gressus*

*Explicabat alites:*

*Sed flagrantis igne caeli  
Vulneratus, & laborum  
Mole pressus insolentum;  
Delicata membra ponit,  
Quà superbientis ingens*

*Vmbra surgit ilicis.*

*Huc ab intimis rosetis,  
Mellis Ales urget alas,  
Et iacentis ora nati  
Dulce recreat susurro,  
Blanduloque pennularum*

*Frigerat flabellulo.*

*Mox reciproci beato  
Halitus odore captus,  
Hic habere credit Hyblam,  
Regna Veris hic salutat:  
Spennit arua, seque condit*

In.

In labella puberis:      *Hinc sonora vocis aura,*  
 Spiritumque cordis haurit,      *Spirituque plenus ardor:*  
 Vnde nectar allaboret;      *Hinc volatus ille mentis,*  
 Mella fundit, ora fugit,      *Maior arte Daedalea;*  
 Foenorique ponit artem:      *Inde robur, inde pondus,*  
 Tela condit, abdit iras,      *Totus inde Pindarus.*  
 Sola promit oscula.      *Surge diues ore Virgo,*  
 Hinc perennis ille torrens,      *Verba funde, prome laudes,*  
 Illa vena iugis auri,      *Plectra tange, pande cantus:*  
 Ille fons suavitatis;      *Poscit hoc suave pectus,*  
 Eloquentis imber amnis,      *Pindarique mente maior,*  
 Corde ductus, aegra doctus  
     Recreare pectora.  
**P R I N C I P I A**  
 Hinc sonora vocis aura,  
 Spirituque plenus ardor:  
 Hinc volatus ille mentis,  
 Maior arte Daedalea;  
 Inde robur, inde pondus,  
 Totus inde Pindarus.  
 Surge diues ore Virgo,  
 Verba funde, prome laudes,  
 Plectra tange, pande cantus:  
 Poscit hoc suave pectus,  
 Pindarique mente maior,  
     Mens diserta Principis.  
 Scis & ipsa, quid meretur  
 Vocis aura **B A R B E R I N A E;**  
 Quando tu cor occupasti,  
 Nidulumque, labra, cordis:  
 Hic foueris, hic triumphas  
     Hac in arce Palladis.  
 Hac in arce castra ponit  
 Administra mellis **Ales.**

**Hie**

*Hic beata corda messem  
Semper educant odorum :  
Mentis huc perenne Caelum  
Rore semper infuit.*

---

# PRUDENTIA PRINCIPIS NOSTRI

Cum Hierone Rege commissa  
ab Apibus enutrito.

O D E V I.

**N**atura Princeps, cui sceptra dextræ,  
Cui serra frontem, cui regna collum  
Fastu coercent, nec mole curuant,  
Foetamque mentē, vastūque pedius  
Humanus implet, nō aequat orbis,  
Diuinus ardor, consultus acui,  
Prudens futuri, praesentis index,  
Mens certa rerum, verique custos,  
Ignara falli, dedocēta fraudes;  
Seu campus urget, seu poscit aula,  
Seu cura belli, seu iura patis:  
Prudentissima Virginum Virago,  
Strenuissima fortium ribus,  
Felicissima Principum,  
Magni Filia germinis,  
Vsum nacta Patrem, Matre veterrima  
Mnemosynes generata partu,

W.H.

Lucis

Lucis inocciduae feracem  
 Prodigia mentem,  
 Sole tuo recreata semper,  
 Vectura tecum, quocunque pergas,  
 Vel in nocte meridiem.  
 Age Virgo, prouidentem  
 Excute frontem:  
 Oculosque, perspicacis  
 Sidera mentis  
 Volue, qua tenellus infans  
 Solus in solo nemorum theatro  
 Inter brachia cespitum,  
 Inter dura crepidinum,  
 Fortunae tamen in sinu,  
 Altore Caelo, nutrice Fama,  
 Proiecto similis iacet.  
 Inde, si nescis, tua damna pendent;  
 Rursus hoc pendent tua Regna filo.  
 Ille, si tantum fera fata rumpat,  
 Indolis magnae Puer, o tuorum  
 Germen honorum.  
 Sed iam futuri praesagus ardor  
 Euenta rerum maiora signat;  
 Erumpet infans angusta vitae,  
 Fatisque maior, mortisque victor  
 Euadet euripos malorum,  
 Expositus meliore campo.  
 Tunc ora vertet scena serenior  
 Feliciori sorte volubilem  
 Mutatura catastrophem.  
 Sic est. nonnè vides, **A P V M**  
 Innumeras volitare turmas?  
 Nimirum satis est beatitatum.

Iam

Iam puri liquor aetheris,  
 Et vindemia caeli,  
 Aurorae pedibus pressa rubentibus  
 Caelesti procul è lacu,  
 Exundauit in orbem:  
 Atque in doliolis recepta florum,  
 Angustos calices mollis amaraci,  
 Narcissique comantis,  
 Hyacinthique rubentis,  
 Musto siderei nectaris imbuit.  
 Huc volat aërij mellis vindemitor Ales,  
 Et liquidos caeli latices, solisque liquorem  
 Ore legit, mox antra petit, quibus aureus infans  
 Incubat; & circumuolitans plaudentibus alis,  
 Labra petit Pueri per inhospita rura iacentis,  
 Inspiratque animam mellis, pro lacte Parentum.  
 At ò magne Puer, gemelle Regum,  
 Infelix, mihi credere, tu fuisse;  
 Humanus tibi si fuisse altor.  
 Hinc tibi regnorum crevit adultus honor:  
 Hinc ille succus prudentis aurae,  
 Hinc vena recti contenta parto,  
 Hinc censuS orbis virtute mensus,  
 Aulaeque luxus finitus aequo,  
 Nomenque magnis aequale factis.  
 Hinc fama, veri foecunda nutrix,  
 Et peccus ingens cui paruus orbis,  
 Et cordis ardor cui meta caelum,  
 Et mens prouida Pacis in senatu,  
 Et mens feruida Martis in theatro.  
 Qui velit semel omnia  
 Complecti bona Principum,  
 Sat dicet, si dixerit unum

Hit.

Hieronem, imperij iugis imaginem.

At tu Latinae solamen Vrbis,  
VRBANE, rerum communis ardor,  
Orbisque Princeps, morumque censor,  
Regnante quiddam Hierone maius:  
Sic Roma iactat, sic censet Orbis;  
(Nec crede paruum, quod Roma iactat,  
Quod censet Orbis) cui fama nomen,  
Cui facta famam fecere laudum.

Te quoque gentiles APIVM coluere phalanges,  
Et tibi solerites animo adleuere liquores,  
Prudentesque fauos, & inexpugnabile pectus  
Consilijs fecere tuum, celeremque regendis  
Imperijs mentem, pronamque ad stemmata frontem,  
Atque ad sceptr'a manum. tunq' arbitra mobilis aeu'i  
Iustitiae comes, & domitrix Prudentia fati  
Se tibi perpetuos animo informauit ad usus;  
Hic aulam, hic artes, hic dulcia castra locauit.  
Sic qui Regna velit sibi mellea fingere, discat  
Ex APIVS VRBANE tuis, & mellea fingat  
Corda prius, superamq. in labra recolligat auram.



# CANTVS NAIADVM

Telas in Ithacensi specu texentium,  
dum Apes mella conficerent.

## ALLEGORIA

AD ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM

# FRANCISCVM

CARD. BARBERINVUM

*Ex Homericis Commentis adducta.*

Cùm MARCELLVS SAVLIUS Ianuen.  
sub eius auspicijs, Philosophicas con-  
certationes iniret in Collegio

Rom. Soc. IESV.

# V R A N I A NAIADVM PRIMA

## ODE VII.



*GE, pasta melle Virgo,  
Ithacensis hospes orae,  
Leuis amnium propago,  
Age, fila dum laborant,  
Acus ora dum colorat,  
Variantis ora tefae;*

*Modò textilem figurat  
Vaga cuspis arte lanam,  
Animatque vulnerando:  
Modò vulnerum lacunas,*

*Vbi*

Vbi fecit, implet auro.  
 Age (quid moraris?) ardor  
 Mariumque, fluminumque:  
 Viden', ut ministra textus  
 Sine voce dextra languet,  
 Sine voce cuspis haeret?  
 Age, quod leuet laborem,  
 Age, quod ferat vigorem,  
 Alacremque fingat artem.  
 Labor est rudit magister  
 Operumque textuumque;  
 Nisi voce temperatur.  
 Minor ille fit canendo,  
 Taciturnitate crescit.  
 Ego, sideralis orbis  
 Imitabor arte molem;  
 Facis arbitrum diurnae,  
 Niueumque noctis astrum;  
 Neque siderum minorum  
 Procul hinc micabit agmen.  
 Erit ergo tela Caelum,  
 Erit aula lucis, aurum:  
 Opus hoc mei laboris.  
 Mibi gemma finge Solem,  
 Mibi pinge concha Lunam:  
 Varioque trama nexu  
 Pluiaeque, fulminumque,  
 Niuiumque finget aulam.  
 Cadet hinc suave nectar,  
 Quod amica mellis Ales  
 Apis, inter orta flores,  
 Leget ore, mox salutem  
 Mibi melleam liquabit.

# EPICHTHONIA NAIADVM SECUNDVA.

## O D E VIII.



TE tranquillo vaga fila textu,  
Cum decet puras animare telas:  
Ite, quid mutus labor otiosam  
Distincte artem?

Hactenus nullo vitiata fuso  
Lina nativus color occupauit.

Ite, dum viuax opus implicari  
Postulat auro.

Aureos seculo referente mores,  
Clarior fiaui nitor est metalli.  
Mutet aurato niueum veneno  
Tela colorem.

Ite, sic Romae noua poscit aetas:  
Roma sic poscit, Latiaeque Princeps  
Vrbis VRBANVS, sed & Orbe maior,  
Nec minor astris.

Ite, sic poscit soboles Parentum  
Aequa fortunae, populique votis,  
Ceteris maior, tibi, Magne, tantum  
Patrue, dispar.

Ite, longinquis animate campos:  
Imprimat telas acus, & iacentum  
Ampla terrarum sola Daedaleo  
Stamine ducat.

Quidquid effectrix operosa rerum  
Docta Naturae manus in reposita  
Condidit terrae generantis alio,

Textus

*Textus adumbret.*

*Ite, sic mellis fabricator Ales*

*Nectar instillet pretium laboris :*

*Nectar Heroum cibus inquietam*

*Recreat artem.*

*Maior humano sapor arua nescit :*

*Succus est purus genitalis aurae.*

*Nempe de Caelo sua BARBERINO*

*Balsama sudant.*

---

MELISSEA  
NAIADVM TERTIA  
ODE IX.



*Laboris aequa merces !*

*Cernis, ut leuis voluptas*

*Virginumque Fluminumque*

*Aura mollis, aura vitae,*

*Cordis esca , mentis ardor ,*

*Mel suave purpurat.*

*I labor , minister artis ,*

*Esse taedet otiosum ;*

*Surge , curre , sume pennas ,*

*Fila texe , sige telas ,*

*Dum ministra mellis ales*

*Dulce ne<sup>c</sup>tar eliquat .*

*Prouocat liquor laborem ,*

*Prouocat labor liquorem ;*

*Vtriusque meta dulcis ,*

*ANT*

L 3

*Dulcis*

*Dulcis est vicissitudo.*

*Perge fila textilesque*

*Implicare gemmulas.*

*Parua cuspis, i per arua,*

*Purpurantis arua telae;*

*Dextra sit colona campi:*

*Lingua sit ministra cantus.*

*Punge lina, pingeflores,*

*Finge mellis Alitem.*

*Mellis Ales hic triumphat,*

*Regnat hic salutis Ales;*

*Regiumque pandit agmen,*

*Regiamque ponit aulam:*

*Dum laborat, & colorat,*

*Imbricatque cerulas.*

*Libat hic suavitatem,*

*Osculatur hic ligustrum,*

*Rosmarimque, liliumque:*

*Deque cespitem rapinis,*

*Deque rore, deque florum*

*Flore, mella colligit.*

*Inde pectoris recessum*

*Florulenta messis implet;*

*Inque cordis officina*

*Innocenter eliquatur;*

*Nectarisque balsamini*

*Lacrymatur imbris.*

*O laboris aequa merces!*

*I labor, minister artis,*

*Pinge regiam Volucrem:*

*Dum laborat illa nectar,*

*Pinge praemium laboris,*

*Alitemque nectaris.*

# THALASSIA ULTIMA NAIADVM.

## O D E X.



*OS quoque facilis tamina panno  
Maris erectos pingite fluctus.  
Vnda reducto spumet in auro,  
Serica bombyx exprimat algam,  
Gemmea littus bractea singat,  
Fluat intexto leuis argento*

*Pubes, liquidi filia ponti,  
Squamea pubes : ducat in undis  
Festiuua gradum , festiuua diem .  
Age, mentitas plaude choreas,  
Gemmea pubes : sic fila iubent ,  
Sic mitis acus , sic dextra leuis ,  
Sic artis honor , sic laudis amor .  
Quotquot tacito monstra profundo  
Creat artifici natura manu :  
Quotquot tumido maris in dorso  
Humida viuunt secla natantum :  
Conchaeque leues albentis opes ,  
Pontique graues spumantis aquas ,  
Montesque feros , vallesque cauas ;  
Et quos pelagi tollit Erinnys ,  
Et quas pelagi spiritus aequat ;  
Haec irati portenta maris  
Meus est iterum formare labor .  
Placet haec species , sed ficta placet .  
Age plaudentum turba Sororum ,  
Soboles leuium mitis aquarum ,*

Sunt haec nostri regna theatri;  
 Maris undantes pingite fluctus.  
 Hic docta manus prouocet artem,  
 Hic fingat acu quae vera putes,  
 Quae, si videat Neptunus, amet:  
 Quaeque undarum sedula nutrix  
 Fecisse prius natura velit.  
 Quis scit, an undas Regia nostras  
 Apis inuisat & littora circum  
 Exprime flores, finge liquores  
 Trama salubres: nectare puro  
 Sidera sudent. liquor astrorum  
 Idem est Apium liquor errantum.  
 Cernis, ut Apium color est aurum?  
 Idem est volucrum color astrorum.  
 Nempe hoc etiam nomine Caelo  
 Placet haec Ales, quod astra placent.  
 Caelum, ac terras sidera complent;  
 Vtrinque micant, vtrinque volant.  
 Meliore tamen sorte beamur,  
 Quod viua volant sidera terris.



VATICINIVM  
DE TEMPLO  
QVOD ILL.<sup>MVS</sup> CARD. LVDOVISIVS

Romae fundauit

S. IGNATIO LOYOLAE

O D E X I.



*NATA moles sidere prospero,  
Futura quondam tu quoque siderū  
Confīnis, ingentemq. summo  
Inuidiam positura Caelo 1  
Non te sinistra luce supercili  
Saturnus atrox, non socialium  
Connubia astrorum profanis*

*Ominibus metuenda terrent.*

*Felicioris lumine dibaphi  
Tibi serenam fax genesim creat.*

*Accede natali benigno :*

*Nempē tuum LVDOVICVS astrum.*

*Hac luce faustam ducis originem,*

*Hac sortieris consimilem exitum.*

*Tu sperne, quid funesta cornix,*

*Quid numeri Babylonis edant.*

*Vides, ut altis fossa recessibus*

*Pandit subactam gleba voraginem?*

*Decrescit ad Manes profundos,*

*Vt faciat tibi terra cunas.*

*Euisceratur Roma vetustior,*

*Vt*

Biblioteca Universitaria  
GRANADA

Ut te capaci parturiat sinu;  
 Ascendit ad lucem, suisque  
 E tenebris rediuita surgit.  
 Tibi cauatis sub penetralibus  
 Minerua sedem saxeа deserit:  
 Tibi vetustatis superbas  
 Exuuias vomit ima tellus.  
 Quin & Latini filia Tybridis,  
 Inclusa longi carcere forniciis,  
 Intra resorbentes cauernas  
 Vena ferax properantis undae;  
 Ne destinatis sit mora molibus,  
 Arcana terrae viscera liberat:  
 Abscedit intestina Thetis,  
 Quam sibi per veteres meatus  
 Tybris paternum poscit ad alueum.  
 Sic te fluentum Rex colit amnum,  
 Sic artis instinctu negatam  
 Fata viam reperere lymphis.  
 Fundata tanto Regia Numinе  
 Quem polliceri debeat exitum?  
 Testis rudimentum laboris,  
 Qualis erit labor absolutus.  
 At tu merentem sume superbiam,  
 Beata moles: cresce, volubilis  
 Securae fortunae, serenum  
 Tolle supercilium: quid Auster  
 Impunè saeuus, quid Borealibus  
 Te flabra terrent orta Triombus?  
 Quam nec relaxatis habenis  
 Mulciber imperiosus ardor  
 Incendiorum fluctibus obruat.  
 Ardebis, at non igne domabilis;

Flam-

Flammaeque mortalis minorem  
 Igne tuo iugulabis aestum.  
 Caelo flagrabis proxima, mutuis  
 Imbuta flammis & face siderum,  
 Atque aetheri communicato  
 Tu similem patiere vultum.  
 Ardebis ipso nomine Vindicis,  
 Cui dicta crescis: lumine Principis  
 Ardebis ipso, cuius astro  
 Nasceris, atque ope nutrieris.  
 Ardebis auro: iam tibi gemmeos  
 Accedit ignes sedulus artifex:  
 Iam surgit in flamas pyropus,  
 Iam radios ametystus armat,  
 Onyxque, summos Arabiae impotens  
 Fouere montes: Cyprus iaspides  
 Sternit pavimento superbos.  
 Quae nitidus geret ora fornix?  
 Cultu calebis denique Numinum,  
 Sanctisque Caeli Religionibus:  
 Quae vota succendent Quirites  
 In similes abitura flamas?  
 In te profundis bella Gigantibus  
 Romanus acri militia inuehet:  
 Tu campus, in quo saepè Virtus  
 In Vitium sinuabit arcum.  
 In te pudicos finget honestior  
 Palaestra mores: tu Capitolium,  
 In quo triumphatura sedem  
 Imperij Pietas locabit.  
 Ascende Caelum, surge domesticis  
 Contenta flammis; nascere nubium  
 Regina, quamprimum coronet

Aërium diadema frontem.  
 Incubat alto regia vertici.  
 Testudo, celsis fulta parastatis :  
     Te patriae fortuna Romae,  
     Te genius Domini antecedit.  
**I**, perge quò te fausta necessitas  
 Inuitat, auctor sat praeit omina :  
     Felicitati iuncta Virtus  
     Nil prohibet superare magnum.  
 Illo & decori foederis arbitro,  
 Inusatam nuper adoream  
     Germanus armorum redemptor  
     In patrias reuocauit arces.  
 Testis reorum turba rebellium,  
 Potens abenae Dacus arundinis,  
     Cimberque regnaturus Albin,  
     Si residem pateretur hostem.  
 At consueto Marte minacior  
 Insanientem Tillius impetum  
     Infregit, ultricemque dextram  
     Torsit in exitium Tyranni;  
 Qui fertur acri milite turgidus,  
 Et supplet astu quod fidei negat.  
     Causaque tantiudem laborat,  
     Quantum animis numeroque gaudet.  
 Sed, Tillianis tela rotantibus,  
 Cedit retrorsum exercitus insolens :  
     Turbamque sacris infidelem  
     Turba Deo socialis urget.  
 O quam frequenter, mole cadentium  
 Pulsata, crimen terra redarguit :  
     Quam saepè proculcata densis  
     Prata cadaveribus queruntur.

Extorta Diuis iura Tonantibus  
 Abrupta Regum foedera , perfido  
 Dictas sacramento cohortes  
 Supplicij fabricare pennas :  
 Et prauitatis damna luentibus  
 Aptare paenit pondus , ut ocyus  
 Sistant nocentes , & flagello  
 Promeritos grauiore plectant .  
 Iam nota victos tessera deserit ,  
 Iam signa saeuis tincta cruaribus  
 E repti vietorem fatentur ,  
 Iam fidei documenta praebent .  
 Quae nunc ab Istro missa Alemannico  
 Vexilla Tybris Romuleus videt ,  
 Et Roma , proles dura Martis ,  
 Sed genitrix generosa Pacis .  
 Hoc FERDINANDVS nuper honoribus  
 Ignatianis exuum addidit :  
 Ut fraudis hostilis trophyeum  
 Et propriae Pietatis effet .  
 Tu cresce Moles ; haec tibi gloriam  
 Vexilla seruant : iam cupiunt tuo  
 Pendere Caelo : te morantur ,  
 Donec iners adolescat aetas .  
 Te Roma dicet cum benè creueris  
 Aequatam Olympo , sed Domino imparem .  
 Quantumlibet crescas , Patroni  
 Nunquam animum meritumque vinces .  
 Haec te vicissim dextera deprimit ,  
 Quae tollit astris : nam LVDOVISIO  
 Autore magno te minorem  
 Ipsa facit tua celsitudo .

## AMOEBAEVS

Siue, Officiosa Virtutum, sed praesertim  
Religionis, & Fortitudinis concertatio,  
Vtra maiorem sibi partem  
vindicet

IN SER.<sup>MO</sup> LEOPOLDO AVSTRIACO  
ODE XIII.

Virt.



RINCEPS Austriadum  
gloria Principum,  
Qui, quanquam nitido sanguine purpuras,  
Et gentilitio sole meridiem  
Splendoris patrij candidus explicas;

Plus tamen rutilae mentis honoribus  
Fulges, atque animo vel genus anteis.  
Audi, quae placidis dulcia vocibus  
Exercent sociae praelia Virgines;  
Nam tu materies una canentibus,  
Tu iudex aderis bella parantibus.  
Ergo, ne proprij nominis inuidus  
Te furare tuis, Maxime, laudibus:  
Sed, quanquam nimium poscimus, admoue  
Pectus, o LEOPOLDE, ad cytbarae modos,  
Atque audire velis quae facere haud pudet.

Relig. Illa ego stabilis forma colentium,  
Magni Religio Numinis arbitra,  
Nunquam splendidior, quam mibi debitum

AMOE

Cum

Cum sensi LEOPOLDVM, & mea ceteris  
Praeponi meritò iura Sororibus.

Fort. Illa ego intrepidi nominis & rei  
Virtus, belligerae praeses adoreae,  
Dextra Virgo potens, mente potentior,  
Tunc verè omnipotens, me quoque fortior,  
Cum tu iure meus diceris Hercules.

Virt. At nobis dabitur pars quota Principis?  
Et nos tangit amor pectoris aurei.  
Princeps viue diu, viue cor omnium,  
Vnus quandoquidem par eris omnibus.

Rel. Ille & fidereis obsequijs pius,  
Multorum capitum contudit Haeresim:  
Ac, ne foeda iterum colla repullulent;  
Taeda flammuomi pectoris imbuīt.

Fort. Ille & belligeros fortis ad impetus,  
Fregit saepè manu tela rebellium,  
Nunquam, ni spolijs obrutus hostium.

Virt. At tu viue diu, viue cor omnium,  
Vnus quandoquidem par eris omnibus.

Rel. Plus est, Tartaream sternere bellum.

Fort. Rebellis tamen, & bellua idem sonant.

Rel. Scelestos domuit, qui domuit scelus.

Fort. At tu frange malos, ut mala corruant.

Rel. Sacrorum obsequio fit fuga criminis.

Fort. Armorum imperio fit mora Numinis.

Rel. Nequit stare diu quod stetit impetu.

Fort. Nemo blanditijs monstra coercuit.

Rel. Sed cui verba damus? Iudice te, meum  
Cor esto, LEOPOLDE.

Fort. At potius meum.

Virt. Et nos tangit amor pectoris aurei.  
Vos consanguineae dicite Virgines;

Viue

*Viue cor, LEOPOLDE, omnibus infitum.  
Princeps viue diu, viue cor omnium,  
Viua x Austriaci gloria sanguinis.*

---

AD LAELIVM GVINISIVM  
FRATRIS FILIVM  
PARAENESIS  
ODE X I I .



ON tibi mutum sine corde nomen,  
Moris aut prisci rude, non supellec  
Curta virtutis, neque destitutum  
Pectore corpus.  
Indoles sat te tua, sat peractum  
Prouidet tempus leuioris aei,  
Et vel irato placitura quondam  
Vota Catoni  
Admonent, Laeli, meliora vitae  
Secla traduci, quibus imperatrixe  
Praesidet Virtus, & amoena legem  
Praebet Honestas.  
Aureus recti tenor, & decori  
Cura seruati, mediumque rerum  
Additum extremis, sed utrinque certo  
Fine reductum  
Dicitur Virtus, celebrata multis,  
Nota quam paucis? & in ore pulchrum  
Nomen; at rarus, quod honore palpat,  
Moribus aequat.

Tu

Tu caue, nequò vaga penna mentis  
 Erret indulgens sibi, nequid exlex  
 Peccet affectus; flagret inter acqui

Septa, cupido.

Sit voluptati modus, ara ponat  
 Terminum votis, libeatque tantum  
 Quod licet; nec te patiatur ultra

Ire voluntas.

Deme personam faciemque rebus.  
 Damna non raro phaleris teguntur:  
 Quae iuuant, sordent; & imago veri

Haeret in imo.

Languet annosis equus aeger armis,  
 Obsitus turpi macie; nec audit  
 Dexterae plausus, & abena duri

Classica Martis.

Sed tamen cultu mala diffitetur,  
 Et superiecto iuuenescit ostro.  
 Pompa vaenalem facit: at latentem

In cute culpam

Forma non lenit, seniumue mutat;  
 Quae magis morbum grauat obsidendo  
 Sarcinis, praeter speciem, daturis.

Nil nisi pondus.

Ille, vel multo pretiosus auro,  
 Denique incessu sua damna prodit,  
 Nec fit ornatu leuis, at ferendo

Ilia dicit.

Fallit emptorem vitiosa merces  
 Credulum votis, & inaurata egram  
 Arte naturam, nisi bracteatum

Syrma reducis.

Calcat Aegeum vaga pinus aequor

Peliae proles generosa siluae,  
 Picta turritum latus, & rubentem  
 Murice puppinz.  
 Rima sed furtim fugit occupatos  
 Luce pigmentorum oculos, & imbre  
 Accipit nautis inimicum, & vndis  
 Obruit alnum.  
 Vrit, heu quantum! sed & ardet ignis,  
 Splendidè mordax: radiant cometæ,  
 Qui nocent altas sine luce fulmen  
 Non quatit arces.  
 Crede fucato minimum colori.  
 Ipse sol raro micat innocenter:  
 Quidquid aspectum nitet, in recessu  
 Nubila caelat.  
 Dives argenti domus, aula circum  
 Serico fulgens Phrygioque textu,  
 Albicans gemmis humus, Indicoque  
 Dente lacunar.  
 Quale tormentum fouet admouendum  
 Hospiti magno? quibus aegra curis  
 Corda habet? quantum latet inuidenda  
 In nuce duri?  
 Dat sibi paenas animus profundo  
 Incubans regno silentis auri:  
 Semper est voti rea; semper optat  
 Caeca libido.  
 Vita confinis utriusque sortis  
 Non egens certa stipe, non abundans,  
 Laeta iam partis, opulenta quantum  
 Exigit usus,  
 Mutat haec Caelo meliore terras,  
 Haec leues aei breuis auget horas,

Haec

*Haec moram letho facit, haec beatos*

*Porrigit annos.*

*Qualis est, Laeli, tua nec paterno*

*Indigens censu, nec onusta luxu:*

*In diem felix, minimum futuro*

*Anxia fructu.*

*Si tua agnoscis bona; liberalem*

*Disce fortunam tibi, quod negauit*

*Plura quam ferres, neque te doloso*

*Obruit auro.*

*Crede, gaudebis minus; at dolebis*

*Altero tanto minus. utra maius*

*Commodum iactura feratue damnum,*

*Consule fastos.*

*Hoc age, hoc semper meditare tecum.*

*Sic sui laetam cole iuris Vrbem:*

*Libero seu tu sedeas daturus*

*Iura Senatu,*

*Candidis seu Matrariae viretis*

*Rura te seruent tua, temperato*

*Rura sub caelo, quibus aura mitis*

*Nomina fecit.*

*Hic, ubi grato lare tollit altum*

*Verticem moles operosa saxo,*

*Et laboratis residens columnis*

*Porticus haurit*

*Obrium Phoebi iubar aestuantis:*

*Cuius aduersum latus ad rigentes*

*Pertinet Cauros, & inhospitalem*

*Solibus aulam*

*Praebet. aestiuo redit apta cultu,*

*Mollis hyberno domus: hinc subactas*

*Visus in valles patet, hinc supinae*

*Copae*

*In iuga siluae,  
 Quid, quod aspectus domini feraces  
 Fertili Baccho locupletat agros,  
 Villici rastro magis, & virenti  
 Pallade ditat?*  
*Vt nec Albano generosa regno  
 Vina decadant, nec amet superbum  
 Bacca Tyburti nemus, aut opimum  
 Poma Tarentum.  
 Ille sit demum tibi meta fundus,  
 Ille votorum modus. at supremis  
 Rebus, & magno iaculare semper  
 Vota Tonanti.*

---

## ROMAE GRATVLATIO

De R. P. Mutio Vitellesco Societ. IESV  
Praeposito Generali creato.

I A M B V S P. V. R. V. S.

O D E X I V,



*VIRINA Pallas, & Quirina  
Faustitas.*

*Beatitatis aeuiterna copia,  
 Et Vrbis auctor imperantis urbium  
 Gemelle Romule, et gemelle Romuli,  
 Adeste; si quis aureum premit latus  
 Amor, serenitasque gratulantium  
 Sibi, suisque, patriaeque ciuium.  
 Sat orba Patre vixit, orba Praesule*

E. M.

Cohors

Cohors IESV, & igne inedomabili  
 Amoris vſulata, vix superstites  
 Habebat, unde fleret vda lacrymas.  
 Inutilesque, quos agebat, arguens  
 Dies, Patrem secuta, duxit ultimos.  
 At, ut vetus Parentis edidit cinis  
 Nouum Parentis omen, & crepundia;  
 Repullulante viuido cadauere,  
 Nouo coēgit affonare Praesidi.  
 Reuixit illa, nobilemque dexteram  
 Parentis osculata, lacrymabilem  
 Remollit doloris acrimoniam:  
 Et, exulanter mentis aegritudine,  
 Vicissitudo gratulantis ingenii  
 In ora risis explicata nubibus.  
 Gemelle Romule, & gemelle Romuli,  
 Adeste; vos Amoris ad catastrophen  
 Quirinus iste principatus euocat.  
 Quirinus est. Fatetur inde ab alueo  
 Tybris vetusta doctus ire secula:  
 Fatetur ipsa Roma, terminalibus  
 Caput perenne circinata montibus.  
 Nequè hoc negat negare compitalibus  
 Vel affueta gentis ora plausibus,  
 Vel ora gentis apta lectioribus:  
 Vel amne flumen eloquente callidum  
 Ab alueis reflexa littoralibus  
 Noui Parentis excitare nomina.  
 Quirinus est, Quirina gratulatio.  
 Quid euocate, quid moraris & exili,  
 Gemelle Romule, & gemelle Romuli.  
 At ò Parens verende, cui sacras comas  
 Amans tui corona cingit, ambitu

Beatiore, quam corona Caesarum;  
 Minor tibi ordo gestit, ordo maximus.  
 Senumque puberumque: Tu cor omnium  
 Manu geris, regisque: Te lubentium  
 Patrum Senatus edit, & vocat Patrem:  
 Et, ut Parens vocere, solus abnus;  
 Sed, ut Parens vocere, mundus annuit  
 Supremus inferusque, sideralibus  
 Vterque recreatus à colonibus.  
 Tibi rubens Eous axe feruido,  
 Tibi patrocinatur Orbis Occidens,  
 Tibi Meridianus, & nivalibus  
 Inhospitalis ora sub Trionibus.  
 Ego hos sequutus a sonante barbito  
 Poëta factus ad sinistrum Apollinem,  
 Malè ominante fabricatus Alite,  
 Tibi tot inter accinentium choros,  
 Tributa soluo ineruditam carminum,  
 Ineptus anser obstrepsus Oloribus.  
 Gregalis est Iambus; integer tamen,  
 Amatque purus esse, sit rufus licet:  
 Tuis gemellus ut sit usque moribus.  
 Ut ut tamen Poëta, cordis indices  
 Recondita orsa, meque dedico tibi:  
 Sacrosque prouolutus ad pedes precor,  
 Senem diebus aemulere Nestorem:  
 Meosque, quando vixeris dies tuos,  
 Rotantium addat Imperator orbium.  
 Sat adfueritis: ire per Patrem iuuat,  
 Gemelle Romule, & gemelle Romuli.

AD SERENISS. PRINCIPREM  
**M A V R I T I V M**  
 CARD. SABAVDIAE  
 C H A R I T E S  
 PRO MARCHIONE SFORTIA PALLAVIC  
 Cùm sub eius auspicijs Philos. lauream  
 suscepisset in Coll. Rom. Soc. IESV

O D E X V.



*Tu fidereo Sole serenior  
 MAVRITI, prouis edite Regibus,  
 Princeps belligerae cura Sabaudiae,  
 Heroum soboles, aequa Parentibus,  
 Quauis Romuleae munera purpurae  
 Illustras veteris murice sanguinis.*

*Verum nobilitas, & genus inclytum,  
 Sit quamvis proprio stemmate maximum;  
 Maiorum decorum pars quota dicitur;  
 Virtus est generis meta veterissimi  
 Tam nativa tibi, quam generositas.  
 Maiestate quidem mens tua fulgurat,  
 Sed non opprimitur luce benignitas;  
 Quin me respiciat mitis, & aureos  
 Vultus in tabula pectoris imprimat.  
 O votis utinam terminus, o precor  
 Sit desiderijs aequa potentia!  
 Quas grates meritis nunc ego redderem,  
 Si grates liceat reddere Gratij.*

Sic fati superet vim M A V R I T I V S,  
 Et sit maior Auis, sic opulentius  
 Crescat Romuleae gloria Purpurae,  
 Princeps Romulidum cura Quiritium,  
 Idem bellicerae cura Sabaudiae.

A D C V P R E S S U M  
 E Q V I T I S V I C T O R I I  
 H E N D E C A S Y L L A B V S

O D E X V I .

**E**R I deliciae tui , Cupressus ,  
 Quam plus vnā oculis amat duobus  
 Fundi luxuriantem in umbilico :  
 Salve illa mibi plurimum salute ,  
 Quam Caelo Pater imbrū secunda  
 Partiri solet irrigatione .  
 Non te Dis malus , & gemella Ditis  
 Funestos Libitina per triumphos  
 Aut incendia pascere , aut superbis  
 Impallescere vedit in sepulcris .  
 Immortalia sperat , aeuinternum  
 Quisquis te videt educare truncum ,  
 Nec saeuam cariem , nec inquieti  
 Morsus temporis inuidos timere .  
 Te circumvolitat cohors Amorum ,  
 Te Nymphae , Veneresque , Gratiaeque  
 Inter oscula mille , mille plausus  
 Humanae esse negant manus laborem .  
 Ad te subdolus exilire gaudet ;

Quando

Quando se rapit & suos sodales  
 Sileno Satyriscus è magistro .  
 At tu , qui tibi plaudis in Cupressu ,  
 Victor , lepor omnium leporum ;  
 Rebus consule , sisapis , supremis ;  
 Et furtum caue , quod male ominantur ,  
 Hortos dum Charites tuos frequentant .  
 Quis scit , an patrio reuulsa fundo  
 Permutet Dominum recente priscum ,  
 Cupressusque sit illa Gratiarum ?

---

DE PRIMO ET PRIMIANO  
 VRSINIS FRATRIBVS  
 qui Romam ab hostibus vindicarunt ,  
 ACCLAMATIO .

O D E X V I I .

**R**OMA seruili resoluta nodo  
 Liberum mundi caput . O Latini  
 Sanguinis Pubes , age Romulaeum  
 Plaude triumphum .  
 Vietas abscessit modò victor hostis ,  
 Barbaros secum rapuit tumultus ,  
 Rursus assuetum iuga ferre collum  
 Sub iuga duxit .  
 Grande par Fratrum . geminisque compar  
 Fratribus , quorum stetit arbitratu  
 Roma , nunc vestris humeris cadentem  
 Tollitis Vrbem .

Nec Palatinam vaga vos ad umbram  
 Lacoste nutriuit Lupa belluino :  
 Sed triumphorum genitrix honesto  
 Gloria succo.

Roma victores famulata fasces

Ponit Vrsino, pia Primiane

Roma supponit tibi feriatas

Pace secures.

Roma si viuit; tibi viuit uni :

Roma si collo mala seruitutis

Vincla dissoluit; mala v incla collo

Te duce soluit.

Vrbe seruata, cape Martialem,

Imparem quanquam meritis, coronam,

Dignus ingentem redimire multo

Sidere frontem.

Te decet vultu Rosa purpurato,

Aptus est vestris color is triumphis:

Quos puellaris manus allaborat,

Indue flores.

Gentis hoc magnae decus, haec sequentum

Nobilis quondam nota posterorum.


Tamdiu viues; Rosa dum sereno

Vere redibit.





# POESIS EPIGRAMMATICA




## ANNI DIES NATALIS EPIGRAMMA I.



*V O D nostri benè seculi salutem,  
Qui vitā modò terminarat Annus,  
In cunis iacet excubatque ,fato  
Denatus simul & renatus uno.  
Senex interiit, puer resurgit.  
Mors breuissima sustulit volente .*

*Nec quidquam fuit illa , quam minutum  
Punctum inter pueritiam & senectam .  
Quin , ut nobiliore crescat ortu ,  
Praetextam pueru Clienti ,  
Non de purpureae liquore conchae ;  
Sed de sanguineae rubore Vitae ,  
Succo nempè suo DEVS colorat .  
En , quid denique profuit , benigna  
Mortis tempora noſſe demorari ,  
Et Vita exoriente deperisse .  
Tantū , ut nominis arte ſic & ortu ,  
Gaudet eſſe gemellus Annus Agno .*



## Ad Puerum IESVM.


## EPIGRAMMA II.

**D**iu, Caelum oculis perenne gestas,  
Et, si quid magis est perenne Caelo.  
Mens affixa Amor est ; hic unus Ales  
Tuis praesidet orbibus rotandis :  
Qui mouentur ab Occidente nunquam,  
Semper ex Oriente Charitatis .  
Hinc vitae polus, hinc polus salutis ,  
Circum, sidera mille gratiarum .  
At, pupillam oculis sitam duobus  
Credas aetheris huius esse solem ;  
**N**i nigerrima peccet in colorem .  
Sed, quamvis nigra; lucet, ardet, urit ,  
Puro sole magis . nisi ergo Caeli  
Sol est pupula ; sit, quod ipse totus  
Es Caelum breue, totus ipse Sol es ,  
Totus pupula, Pupule, es tuorum .

Ad Simeonem, Puerum IESVM  
gestantem.

## EPIGRAMMA III.

**G**estabas Puerum Simeon, lacrymaque loquaci  
Optabas vitae iam grauis esse satis .  
Fortunate Senex, geris inter brachia Vitam ;  
Credis & haec inter munera posse mori ?  
Hic te donaret vitae, si mortuus es :  
Quid mortem à Vita, vota sinistra, petis ?



De Magis ad CHRISTVM Puerum  
profectis.

## EPIGRAMMA IV.

**V**T Solem videant nascentem ad munera vitae,  
Extremo veniunt ex Oriente DuceS.  
Haec erat, unde abeunt, potius ad Regna petendum;  
In quibus exoritur mane renecta dies.  
Quidquid agant soles, quos lurida nubila condunt;  
Sol nouus in Regnis nascitur Occiduis.

Vnus ex Magis, qui aurum offert.

## EPIGRAMMA V.

**E**N tibi quae tulimus supremo è limine mundi;  
Tu mea, non sine me, suscipe dona DEVS,  
Nec mortalis eges, idem Puer aureus, auri;  
Quis sit, non quo egeas, munera nostra docent,  
Aurea dona fero, quia sunt mihi ferrea corda;  
Haec quoque cum facies aurea, Diue, feram.

De Stella Magorum.

## EPIGRAMMA VI.

**D**Vcit ab Eoo populorum examina Sidus,  
Nec sese aspectu subtrahit usque Ducum.  
At, cum Bethlemias radis propè despicit oras,  
Qua IESVS tenui membra locabat humo;  
Fax subito ex oculis evanida cessit in auras.  
Et bene; vicino sidera sole cadunt.

Ad

## Ad Sanctos Innocentes.

## EPIGRAMMA VII.

**S**aluete ò primo fortis in limine vitae.  
 Vos, Pueri, flores quis neget esse DEI?  
 Scilicet humano prognati nuper in borto,  
 Ante DEV M caditis, non tamen ante diem.  
 Prisca fides taceat, flores è sanguine nascit;  
 Nunc ipsis crux è floribus exoritur.

De niuibus ante peruigilium Natalis Do-  
 mini de Caelo cadentibus.

## EPIGRAMMA VIII.

**A**spicis, ut puro sub vellere candidatorbis,  
 Venturoque niues praenituere DEO?  
 Pompa quid haec tandem? an laeti bellaria Caeli;  
 Quandoquidem terrae Sponsus amantis adest?  
 Sudor an astrorum cursu maiore volantum,  
 Nascenti ut Domino tempora chara ferant?  
 An Puer veniens caelestis copia lactis?  
 Canitiesnè annum testificata senem?  
 Quidquid id est, Diuine Puer, feliciter audet,  
 Dum pia, te prensans, albet & ambit humus.

Ver ad IESV M corona spinea  
 praecinctum.

## EPIGRAMMA IX.

**P**One cruentatam Diuina è fronte coronam,  
 Quam tibi de spinis impia turba dedit.  
 Indue iam flores; nam quas spina inuida praefert,  
 Non

# EPIGRAMMATICA. 191

*Non tulis aethereas, abstulit ipsa, rosas.*  
*Gratia quae veniet vernis vel floribus, ex te;*  
*Cuius in aprico vertice floret hyems?*

De viola in CHRISTI Domini paenit  
florente.

## EPIGRAMMA X.

**M**e iuuat, ante alios flores, torpentia circum  
Gramina, pallentes explicuisse genas.  
In Domini paenit pudet ostentare pudorem;  
Aptior est mundi luctibus iste color.  
Quanquam, si nescis rerum miracula, disce:  
Pallentem Domini me facit esse rubor.

De eodem argumento.

## EPIGRAMMA XI.

**P**allida sum, fateor; sed quid pallore decenti  
Pulchrius? is toto regnat in Orbe color.  
Pallidus est Titan, sunt sidera liuida, Caelum  
Liuet, & in Caelo pallida luna micat.  
Mirarer, si non pallerent omnia; quando  
Pallet, qui vultu cuncta colorat, Amor.

De lacrymis Magdalene ad pedes  
IESV.

## EPIGRAMMA XII.

**Q**uid lacrymas oculis fillas, pia Magdala?  
credis  
Diuinos guttis posse cauare pedes?  
Hos

*Hos ferrum non vnda cauat : satis illa cauabit  
Cor tibi, quae pedibus profluet vnda cauis.*

Ad Magdalenam, corpus I E S V  
quaerentem .

EPIGRAMMA XIII.

**M**Agdala, quid ploras? Domini quid mortua-  
quaeris  
Pignora? quam tibi te cogit abesse dolor?  
Si nescis, Dominum rapuisti tu ipsa, tuumque  
In quo seruatur, cor mibi testis erit.  
Cor scrutare, DEV M inuenies; nisi cor tibi IESVS,  
Vt furto furtum hoc expiet, eripuit.

De S. Prisca Leonibus obiecta .

EPIGRAMMA XIV.

**R**Omula bissexos viæ Prisca peregerat annos,  
Cum datur Hyrcanis dilaceranda feris.  
Illa quidem forti stetit imperterrita vultu,  
Sed Leo Virgineos concidit ante pedes.  
Quid mirere prius? factam ne repente Leonem  
Virginem, an in mores Virginis isse feram?

De S. Calliope Martyre.

EPIGRAMMA XV.

**D**Iua, tuum Musae nomen: neque peierat omen,  
Quando Aganippaea ditior vnda tibi est.  
Altera carmen alit; sed & abluit altera crimen,  
Ille rigentis aquae, sanguinis iste liquor.

Alte-

## EPIGRAMMATICA. 193

Disparibus votis : illum pede Pegasus haurit,  
Hunc dextra miles ; parsed utriusque furor.  
Crimina siue igitur mundas , seu carmina mandas ;  
Non alia aspiret iam mibi Calliope .

### Ad S. Catharinam Senensem.

#### EPIGRAMMA XVI.

S Pinea tu, Catharina, capis non florea ferta ,  
Dum tibi gestandum CHRISTVS utrūq. parat.  
Credo, satis florum tua iam tibi terra ministrat ;  
At contraspinas non tua fundit humus .  
Ut florum Regina fores, & Regia odorum ;  
Deficis hoc uno , cetera Veris habes .  
Nunc tibi cum spinas Sol educat, infere fronti .  
Denique te faciet spina gemella Rosam .

### Ad Sanctam Caeciliam Euangeliorum librum in sinu ferentem.

#### EPIGRAMMA XVII.

V Irgo, nobile Numinis volumen ,  
Et summi digito DEI exaratum ,  
Nil mortale ferens nisi figuram ,  
In sinu geris intimo repostum .  
Non tu, Caecilis, es quod & vocaris ;  
Ipsum facta redarguere nomen .  
Vidisti benè, dum grauem libellum ,  
Qui Verbum breue continet, locares  
Inter brachia pectoris profundi .  
Vitae bibliotheca, pectus ipsum est :  
Et cor nidulus ultimus ; quid ergo ?

N

Dum

Dum vitae reseras in aede Vitam,  
Quo volumine pectus & cor imples,  
An istbae vacet officina morti?

### De S. Margarita Scotiae Regina.

#### EPIGRAMMA XVIII.

**R**egales aulae fastus, & plurima vitae  
Commoda, Regiae nomen & omen habet.  
Regales tamen orbis opes, gazarque superbas  
Spernit, & exiguo vicitat illa cibo.  
Vellet inops fieri: sed, se dum possidet ipsa  
Margaris; incassum, crede, feratur inops.

### De S. Basilio.

#### EPIGRAMMA XIX.

**I**Am calatum cepit manus imperiosa Tyranni,  
Qui graue Basilio scriberet exilium.  
Ille, auersatus mala munera; substitit insons,  
Et nullam impressit, exhibuitue notam.  
Perfide, cui semper leuitas in pectore vixit;  
A penna exemplum nunc grauitatis habet.  
Et sapit bac: siquidem nigro inficienda colore  
Candida Basiliij nomina non fuerant.

### Ad S. Symphorianum.

#### EPIGRAMMA XX.

**D**um te supplicij torqueri, Diue, videret  
Perdendo melior, quam generando, Parens:  
Date age, delicij fruere, illecebrisque dolorum;  
Et modò spe vitae fac moriaris, ait.

Magna

# EPIGRAMMATICA. 195

*Magna Parens, quis te verè neget esse Parentem,  
Quae Natis, ipso in funere, das animum ?*

## Ad S. Simeonem Stylitam.


### EPIGRAMMA XXI.

**S**TAS super ingenti Simeon immote cylindro,  
Nec tibi ventorum praelia crebra nocent.  
Sic stabant simulacra ingentibus alta columnis  
Ad viuum expressos ore imitata Duces.  
Qui te hominem dicat, quām verè saxus idem est;  
Qui non te signum Numinis esse videt.

SS. Iusti, & Pastoris è ludo litterario ad  
mortem pro CHRISTO abeuntium  
voces.

### EPIGRAMMA XXII.


**I**TE agite, o viles tabulae, quas nescia veri,  
Et vitae indocilis littera multa notat.  
Nos melior reuocat vera ad spectacula ludus,  
Páginaque è nostro scripta crux placet.  
Iam nunc laureolam Sapientia cognita defert:  
Et didicere satis, qui didicere mori.  
Vix ea, & abiectis properant ad fata tabellis.  
Siccine fit tandem vita magistra necis ?



## Ad S. Vincentium Martyrem,

## EPIGRAMMA XXIII.

**N**on inest tibi nomen otiosum,  
 Vincenti; ipsum animo vocamen imples,  
 Et sensum facis esse dictioni.  
 Iaces in medijs rogis, nec ardes:  
 Sed flores aie esse, quas Tyranni  
 Inclemencia vellet esse prunas.  
 Nimirum est alibi ardor occupatus,  
 Atque ipsum magis vrit admouentem.  
 Nil ex igne gerit, nisi ruborem  
 Et aurae tepidissimae flabellum.  
 Dum te quippè Tyrannus excitatis  
 In flammis videt haud habere flamas;  
 In rogo iacet ipse, sed furoris.  
 At, cum tutus ab igne collocaris  
 Inter strata rubentium rosarum;  
 Hic ignem reperisse te fateris,  
 Quem nuper tibi denegarat ignis;  
 Et rogom rosa in algida experiris.  
 Hic demum cadis, occubasque letho;  
 At casus generosior triumpho est,  
 Et victo tibi vicitor ipse cedis.  
 Sed vincis quoque vicitus: immò vinci,  
 Ipsum est vincere, glorirosiora  
 Tantò praelia; quò minus perurunt  
 Flammae incendia, quam gelu rosarum.



EPIGRAMMATICA. 197

Sancta Felicitas hortatur Filios , vt mortem pro CHRISTO generosè subeant.

EPIGRAMMA XXIV.

**I**te, mea ò quòdām, nūc CHRISTI pignora, dixit;  
Dùm Natos mortem vidi adire Parens:  
Ite, & magnanimo testetur sanguine Virtus,  
Non vos feminine germinis esse genus .  
Vos ego pone sequar: quae vestrae credita vitae  
Mater eram, vestrae filia mortis ero .  
O plusquam Mater, bis prolem enixa! nec illud  
Extinxisse genus; sed peperisse fuit .

De S. Ignatio Loyola ,  
cuius in sepulcro visa sunt sidera .


EPIGRAMMA XXV.

**L**oyolae dudum extincto pia funera dicit  
Roma, sepulcrales & facit inferias.  
Ad tumuli Caelum, & fastigia funebris urnae,  
Elucere diu sidera clara videt .  
Quàm benè! Sol nuper letalibus occidit vndis;  
Miraris, famulae si mīcuere faces?

Ad Eundem , astrorum aspectu  
fruentem .

EPIGRAMMA XXVI.

**D**um superis oculos Ignatius explicatoris,  
Factus & astrorum concolor, astra videt :  
Sordet iners mibi terra suis cum floribus, inquit;  
Vna dies perimit, quos parit una dies .



Pace tua, Ignati, iacet sua sidera Caelum ;  
Dum te florem habeat, non mibi sordet humus.

Ad Eundem, aspectu siderum  
lacrymantem.

## EPIGRAMMA XXVII.

**A**Stranè tu/pectas magis, an spectaris ab astris;  
Dum Caelo, Ignati, nocte silente vacas ?  
Scintillant tacitè, & nictant tibi sidera Caeli ;  
Sed tua connuent tam benè sideribus ;  
Vt luces equidem modò contemplatus utrasque,  
Ecquinam Caeli sint oculi, ambigerem.  
Astra tibi demùm illacrymant, & luce liquefunt;  
Nec dees tu lacrymas reddere pro lacrymis .  
Exoritur saties, & rursùm mutuus ardor :  
I nunc, & pasci sidera rore nega .

De Sancto Francisco Xauerio Soc. IESV:  
cuius extincti de latere sanguis &  
aqua prodijt.

## EPIGRAMMA XXVIII.

**F**rancisci in latus extincti feliciter audax  
Exploratura contulit arte manum .  
Contulit : exemplò de cordis parte sinistra  
Plaga hiat, è plaga sanguis & vnda fluit.  
Franciscum Domino similem qui fortè negaret ;  
Huic oculos poterat, credo, aperire liquor.

DESE

De

De Eodem, super funem anchorarium  
in naui quiescente.

## EPIGRAMMA XXXIX.

**A**nchorarius, orbe conglobato,  
Et spiras reuolutus in supinas,  
Funis in media iacet triremi.  
Huc se Xauerius frequenter urget,  
Siquid desidis oty reposcit  
Virtus fessa laboribus diurnis:  
Et duro superincubans rudenti,  
Plus fallit prece, quam sopore, noctem.  
Iam secura perambulet procellas  
Aut saeui maris aut minantis Orci  
In tuto ratis est; habetque funis  
Anchorarius Anchoram salutis.

De B. Aloysij Innocentia.

## EPIGRAMMA XXX.

**N**imquid es ingressus thesauros fortè niuales,  
Gonzaga? o primis candidior niuibus!  
Sic tibi torquatum gemmarum linea collum  
Ambit, & ad pectus sic cadit albus onyx.  
Clam tamen haec oculis decorat popa inclita mente;  
Nam debent procul à Sole latere niues.

De Sacro Ieiunio.

## EPIGRAMMA XXXI.

**D**efinite in medio iejunia quaerere luxu,  
Atque in opem victum dicere mille dapes.  
Ingluuies est, & rabies foedissima ventris,  
Siue sit haec Caelo, seu saturata mari.

*Ieiunum non esca facit quaesita sub vndis;  
Mutant delicias aequora, non prohibent.*

De eodem.

EPIGRAMMA XXXII.

**O** *Nos felices, aetas si prista tulisset,  
Primores epulis abstinuisse Patres!  
Non fera mors rigidam coepisset ducere vitam:  
Qui mortem peperit, nos cibus ille necat.  
Ergo age, tu morti ieiunia crede venenum:  
Vis morti vitam demere & pascere fame.*

De eodem.

EPIGRAMMA XXXIII.

**Q** *Vidiuuat exiguis ieiunia ponere mensis,  
Et sese tenui debilitare cibo;  
Si grauis est vitiis animus, si pectus onustum  
Criminibus, saties si tibi nulla malitia est?  
Non domat is corpus, dapibus qui parcit opimis;  
Qui vitiis animum non alit, ille domat.*

De eodem.

EPIGRAMMA XXXIV.

**A** *Vrea pauperies, inopique cibaria victu,  
Et modicis vix in lancibus herba viret.  
Nobis terra satis, de Caelo nulla supellec;  
Sed vis, delicias quae negat, illa facit.  
Et sua terrestres animant bellaria coenas;  
Conditur, si quae desipit esca, fame.*

De

## De Sacro Cinere.

## EPIGRAMMA XXXV.

**S**Ordeat ille licet capiti Cinis insitus alto,  
O quantum mirae fertilitatis habet!  
Nam subito coepit virtutum erumpere messis,  
Et domino segetem reddere mentis ager.  
At tu, qui Cinerem dicebas, desine falli:  
Non Cinis, at semen Religionis erat.

## In Personatos.

## EPIGRAMMA XXXVI.

**O**Factum malè! mutatur persona: sed, ore  
Mutato; stabilis mens scelus usque gerit,  
Vnusquisque velit, quod non est, posse videri:  
Idque quod est, facie dissimulante, negat.  
Deberes animo natuum reddere vultum:  
Si vis personam sumere; sume tuam.

## In Funambulum.

## EPIGRAMMA XXXVII.

**Q**Vis nouus hic caelo suspendit Daedalus alas?  
Sed vereor, ne fors Icaron esse probet.  
Aspicis, ut tenui feliciter audet in aura;  
Ceu subeat stabili ludicra bella solo?  
Fune super tereti tutissimus errat, & artem  
Ludere dum gestit; luditur arte timor.  
Hic choreas impunè ciet, seque supinum  
Librat, & intorto turbine corpus agit:  
Argutat pedibus, tremuloque per aëra saltu

Tot.

Tollitur; erectus sed tamen inde redit.  
 Nec mora, nec requies; iterum ter pectus in altum  
 Surgit & in gyrum ter vaga membra rotat.  
 Corpore dum pendet, sola ceruice tenet se,  
 Et vere ad restim colla redacta gerit.  
 Tum simulat casum; populoque timente, timorem  
 Ridet qui populi vota timere facit.  
 Quin, capite obuerso, totus pede pendet ab uno;  
 Dumque pedem absoluunt, dextera supplet opem.  
 Iam iam casurus redit, incertumque theatrum,  
 Quas iubet in partes, speque metuque trahit,  
 Nec solus pendet; sed enim pendentia secum  
 Uno ex fune tenet millia multa virum.  
 O viles animae, & vaenalia pectora paruo;  
 Saepè quibus merces esse ruina solet!  
 Non sat terra vias habet & diuertia lethi;  
 Ut iuuet in caelo quaerere mortis iter?  
 An semper vobis subeunda pericula census,  
 Atque omnis fundus denique funis erit?  
 Cum restim aspicitis protensam; dicite, Forsan  
 Ultima iam vitae linea ducta meae est.

Ad Gregorium X V. Pontificem Max.  
 De primo in Capitolium ingressu.

### EPIGRAMMA XXXVIII.

**I** Ngredere, ò felix, meritisque affuesce futuris,  
 Nempe rudimentum nobile laudis habes.  
 Roma tuis pandit Capitolia celsa triumphis:  
 Quod tibi principium est, finis honoris erat.  
 Quae surgunt saxo Capitolia, crede minora;  
 Quam tibi quae proprio è pectora Roma facit.

De

De Card. Ludouisio creato.


## EPIGRAMMA XXXIX.

**I**Am pro Sole suo Romani munera caeli  
Obtinet ingentis nobile germen Aui.  
Illi Sol currum concessit auunculus, illi  
Ipse suum ingenij pondus habere dedit.  
Iam lucem regat & caelo securus oberret  
Qui praeter stirpem nil Phaëtonis habet.

De Trunco Mineruae reperto in extruenda  
Templi area, quod S. Ignatio  
Loyolae erigit Illustriſſ. Card.  
Ludouisius.

## EPIGRAMMA XL.

**V**T Loyoleo statuat fundamina Templo,  
Percutit aerato dente redemptor humum:  
Percussa tellure, leues ad luminis auras  
Saxeа, sed truncо corpore, Pallas adest.  
Tu, si nescires aliunde hanc Pallada; discas,  
Quod duro ad lucem verbere nata venit.  
Ex capite orta Patris quondam, nuc Matriis ab aluo,  
Hoc uno differt nomine Virgo sibi.  
Nam quod truca oritur; facit, ut tibi pectus adoptet;  
Imponatque sibi te, LUDOVICE, caput.  
Excipe tu facilem: sic nec tens ultima primis;  
Ad caput, unde abiit, nostra Minerua redit.



De Capite humano, inter eiusdem Templi  
fundamenta inuento.

EPIGRAMMA XL I.

**Q**Và fundamina sumptuosa Templo  
Imponi LVDOVICVS imperabat;  
Inter rudera fossa, sub repositis  
Humanum Caput exsilit caueris.  
Antiquae noua Roma comparatur:  
Par omen similem exitum reposcit.  
Ergo, quisquis amas videre Molem,  
Non tu surgere Templa; sed superbum  
Templorum Capitolium videbis.

De Riuo perennis aquae, reperto iacien-  
dis eiusdem Templi fundamentis.

EPIGRAMMA XLII.

**Q**Và Loyoleas fundat LVDOVISIVS Aedes,  
Defoditur riuo semper eunte liquor:  
Cur non, Ignati, potius tibi surgit in ignes,  
Nominis atque tui concolor ardet humus?  
Credideram, ex facibus fluios decurrere lucis;  
Vt video, ex flamma flumen abundat aquae.  
Sütnè tuae hæ lacrymae; quo iā super amne, Tonati  
Fundaras Templum pectoris ipse tui?  
An, quas tu casto sacraras pectore lymphas,  
Hæ tibi nunc grato rore tributa ferunt?  
Sed reor, hoc, quem tu Vitæ de fonte rependis,  
Principis & vitam & vota, liquore rigas.

De

De Cardinali Ludouisio, primum Ignatiani Templi lapidem iacente.

## EPIGRAMMA XLIII.

**L**OYOLAE ut summā LVDOVIS erigat Aedē,  
Non modō praefat opes, sed pius addit opem.  
Ipse sua iam prima manu fundamina Templi,  
An propriae culmen Religionis agit?  
Quae rerum haec series, ut iactum in Tartara saxū  
Auctori aeternam fundet in Axe Domum?

Ars Vestiaria, ornando Ignatiano Templo  
opportuna, ad Card. Ludouisum.

## EPIGRAMMA XLIV.

**F**ILIA sum primae, sed non & conscientia, culpae;  
Et de matre tuli nil nisi seruitium.  
Nam veteres texi frondosa veste Parentes,  
Quos puduit nudi criminis esse reos.  
Me sacram Ignatij reuocat LVDOVICVS ad arā;  
Sim famula vi lucis, quae modō noctis eram.  
Magnū opus aggredieris, Princeps ò Magne quis unq;  
Progeniem sceleris fecerit arte piam?

Ars Phrygiaria, ad Eundem.

## EPIGRAMMA XLV.

**O**AGE, quid cessas telam distinguere pubes?  
O laudum stimulisti tua pungat acus!  
Excute vim: nescis, quae nunc miracula tractas?  
Quot

*Quot figendo aperis puncta, tot ora locas :  
 Ora, quibus per te vel stamina muta loquuntur ;  
 Principis & nomen dicere fila doces .  
 Haec tua sunt rerum molimina, non opus artis ;  
 Loyolae magno dum, LVDOVICE, faues .  
 Optet adhuc linguas centum, centum ora Poësis ;  
 En tibi iam gestat tela, quod illa rogat.*

### Odoraria, ad Eundem .

#### EPIGRAMMA XLVI.

*Illa ego fragrantum peregrina Antifiles odorum,  
 Quam iuuat Eois imperitare plagis ;  
 Adsum, & pastillos dextra gero : tu mibi praestas  
 Ignati ardentes, ò LVDOVICE, faces .  
 Non alio poteram redolentior igne videri ,  
 Quam quem magnanimi Principis aura ciet .  
 Sed minus haec fragrat mea fumi virgula, quam tu ;  
 Atque tuum in nostro munere munus olet .*

In Pauli V. Pontificis Maximi cineres  
 in Sacellum Exquelinum translatos ,  
 ad Beatissimam Virginem.

#### EPIGRAMMA XLVII.

*Vt parem tibi, Diua, Paulus aram ,  
 Atque arae geminam locaret aedem ;  
 Gemmas vndique, quotquot aut Syene  
 Aut pingit Paros, aut creat Carytos ,  
 Fœcunda ciet euocatione .  
 Ofactum bene ! Regiam Pudoris  
 Reginamque Pudoris haec decebant :  
 Et*

Et gemmae poterant amare Gemmam.  
 Nil deerat nisi Paulus huic theatro:  
 At, qui visus erat deesse nuper;  
 Adebat denique Paulus, & vocatus  
 In partem venit elegantiarum.  
 Paulus, nunc cinis, at cinis verendus,  
 Magnae quondam animae decorus hospes,  
 Magno nunc quoque nomini superstes:  
 Nam magnum est, cinerem fuisse Pauli.  
 Hanc gemmam tibi, Diua, non Syene,  
 Sed mundi & tua gemma, Roma reddit.

Ad Paulum V. Pontificem Maximum.  
 De eiusanimi castitate, ex Sacello  
 Exquino.

## EPIGRAMMA XLVIII.

**V**irgo, nix tibi lineauit olim  
 Templum nobile: rursus in vetusto  
 Nunc Templo tibi nix Domum locauit;  
 Hanc Paulus, DEVS eliquauit illam.  
 Paule, Virginis ardor Exquinaliae,  
 Et casta niue pectoris decorus,  
 Haec miracula sunt tui Pudoris:  
 Ut, dum nobile Virgini Sacellum  
 Ponebas, opera potens eadem,  
 Aram te quoque Virginis dicares,  
 Tam parem niuibusque Virginique;  
 Ut non Virginis ara, Paule, tantum;  
 Sed Virgo simul ipse dicereris.

Ad Paulum V. Pontificem Maximum,  
De Annonae studio.

## EPIGRAMMA XLIX.

**P**RINCIPE te, nunquam tenuit penuria victus,  
Nec fuit agrorum diues auaritia.  
Mens foecunda bonis, steriles opulentat & urbes;  
Pectoris ille tui campus alebat opes.  
Non ego iam miror, foecundo à Principe, mutos  
Duxisse exemplum fertilitatis, agros.

Ad Paulum V. Pontificem Maximum,  
De eius animi tranquillitate.

## EPIGRAMMA L.

**V**IS animi placida, & gratae sine fulmine luce;  
Maiestas, sed quae nesciat esse ferox;  
Clementem te dixissent: nisi quod tibi nomen  
Ante dedidit cultus Religionis honor.  
Non tua gestabat vibrandum dextera ferrum;  
Hoc unum excipias, cetera Paulus eras.

Ad Paulum V. Pont. Maximum,  
Quod in Exquino Virginis Templo,  
propè Domini Cunas sortitus sit  
tumulum.

## EPIGRAMMA LI.

**Q**VAM bene conueniūt vitae tua funera, Princeps:  
Non poteras urna nobiliore tegi.  
Viuen-

*Viventis cor Exquiliæ tenuisse fatendum est;*

*Exquiliæ cineres nunc morientis habent:*

*Vixisti ad Cunas Domini, tumularis easdem*

*Ad Cunas; vitae & funeris omen idem.*

*Hoc nasci est, cunis recipi; te, Paule, iacentem*

*Ad Vitæ Cunas, quis perijisse putet?*

De Corde Alexandri Cardinalis Vrsini,  
sepulto apud cineres Roberti  
Card. Bellarmini.

## EPIGRAMMA LII.

**V**ixit Alexandri quondam Robertus in imo  
Corde: sed erratum est; immo cor ipse fuit.  
Viuere Robertus cum desijt, haud tamen idem  
Desijt Vrsini in corde cor esse diu.  
Ut iam de geminis exstaret cordibus vnum;  
Et duo qui posset dicere, nullus erat.  
At, postquam Vrsinus cecidit; cor huius eodem,  
Quo Robertus inest, clauditur in tumulo.  
Iam sunt ergo pares: decuitque, ut cordis amici  
Incola qui fuerat, cordis hic vrna foret.  
Nil praebes Vrsine tui, sed debita soluis;  
Nam sibi Robertum denique restituis.

De Alejandro Card. Vrsino, qui lethali  
morbo correptus sanguinem sibi  
flagellis elicuit.

## EPIGRAMMA LIII.

**H**AUSERAT Vrsinus rigidæ prima omina mortis,  
Cum subito in se dira flagella mouet.

O

Nam

Nam quatit innocuos repetitis ierbibus artus;  
 Quam pius est, gaudet tam ferus esse magis.  
 Nec frustra: ex se scintillas & semina lucis  
 Elicuit, nec erat saxeus ille iamen.  
 Quot stillae, totidem stellae miscuere cruxoris;  
 Quanquam plus est quam sideris iste color.  
 Solis erat: sol, occiduis iam proximus undis,  
 Se praebet roseo lumine sanguineum.

De CHRISTI in Cruce affixi effigie, quam  
 ad pectus gestabat Card. Vrsinus,  
 dum viueret.

## EPIGRAMMA LIV.

**D**E cruce pendentem Vrsinus gestabat IESVM,  
 Qui, quam sit Pietas ingeniosa, docet.  
 Clauiculi exiguum terebrabant robur acuti,  
 Mucro nec aduersa parte retusus erat.  
 Ille Crucem qua fronte exstabat ferrea cuspis,  
 Ad pressam cordi, dulce ferebat onus.  
 Sic ysdem clavis, & eouem in robore fixa  
 Vrsini cor, & membra fuere DEI.

De obitu Alexandri Magij  
 vltima Februarij.

## EPIGRAMMA LV.


**O**ccidis, & tecum florentibus, inclite Maj,  
 Foeta bonis Virtus, sed rediuiua cadit.  
 Nobis illa cadit, cadis & tu denique nobis;  
 Nam tibi viuendi limina prima patent.

At

At Superis deuota Cohors in littore gressum  
Tuta locat, deque hoste tulit spectacula tantum.  
Tum pius Isacidum Ductor Pacana Tonanti,  
Hoste triumphato, cecinit; peregrinaque pubes  
Ductorem sequitur praeemtum carmine grates,  
Inque vicem alternis spatijs iuuenesque nutusque,  
Munere pro tanto, persoluunt debita laudum.  
Hinc ego principium duxi, natalibus olim  
Orta pijs; illae, mea prima crepundia, voces.  
Nunc Pictor non arte minus quam nomine Caesar,  
Pictorum Caesar, seraeque aetatis Apelles,  
Inter sacra iterum me carmina pinxit; ut essem  
In Regno secura meo. simul ille profanos  
Edocuit Vates, quo lucis semine nascor:  
Admonuitque nigros Paphiae meretricis olores,  
In mea quam peccent generosae exordia vitae;  
Cum quasi degenerem tam pulchri a germinis ortu,  
Ad mala nescio quae melimela Cupidinis vrgent.  
Ite animi indecores, quorum modulamine dicor  
Serua Voluptatis, quae sum Regina Pudoris.

Ad Te configlio, Princeps, tua nomina supplex  
Fronte gero, meme ipsa tuis splendoribus ornbo:  
Ut lucem quandoque meis natalibus addam  
Auspice Te, quos foeda infumant carmina Vatum.  
Hic pia sum, securus ades. sed, & vt pia posthac  
Dicar, & ingratae caneam commercia culpae;  
Tu facies. age, meq. tuo, LVDOVICE, volentem  
Subde patrocinio: sic reddis origine dignam.

# INDEX.



## POESIS HEROICA.

- Carmen I. *Idyllium*. Sacrosancta Vaticani Templi Porta pag. 1  
II. *Gratulatio*, Ferdinando Caesari, 10  
III. *Eucharisticon*, in Claromontanum Collegium Partibus Soc. IESV Parisis restitutum. 21  
IV. *Paean*, SS. Didymi, & Theodorae certamina, 32  
V. *Epinicium*. S. Ignatius Loyola, tormento iactus, pag. 42  
VI. *Generhliacon*, Virginis nascentis ad vitam. 51  
VII. *Epithalamium*, Virginis ab Angelo salutatae. 57  
VIII. *Propempticon*, Virginis Elisabetham inuisentis, pag. 63  
IX. *Oarissys*. B. Aloysii Gonzagae cum DEO colloquia. 67  
X. *Soteria*. Eiusdem voluntaria pro CHRISTI amore supplicia. 71  
XI. *Proseuticon*. Idem à Parente ingressum in Societatem IESV impetrat. 78  
XII. *Epicedium*. Idem, Victor incendiorum & fluminum, denique à Morte superatur. 84

## POESIS ELEGIACA.

- Elegia I. *Nenia* CHRISTI Domini nascentis ad vitam. 94  
II. *Prosopopoeia* S. Ignatii Loyolae, noctu sidera meditantis. 100  
III. *Epitaphium* Margaritae Hispaniarum Reginae è vita abeuntis. 105  
IV. *Threnodia*, P. Caesari Laurentio Collegae, diem ultimum obeunti. 116  
V. *Apolysis*, in finem studiorum, ad emeritos Auditores. 126

## POESIS LYRICA.

- Ode I. *Monodia* nascenti IESV. 140  
URBANL VIII. *Virtutes ad modos dictae*. 147  
H. Fe.

L V D O V I C O  
C A R D . L V D O V I S I O  
S . R . E . V I C E C A N C .

T O E S I S I N P R O G R A M M A T E  
*Depicta ab Eq. Ios. Caesare Arpinate*  
*Se dicat, dedicatque.*

**N**AGNANIME ò Princeps , cui summa negotia mentem  
Semper habent : sed non adeò , par omnibus , implet  
Pectus ; vt in medio nunquam vacet agmine rerum :  
Siquid ab egregio curarum pondere cessas ;  
Hae c; precor , interea mihi publica cōmoda praeſtes ,  
Dūm Tibi me voueam , si sum Te digna Patrono .  
Illa ego , sum veterum genitrix atque arbitra Vatum ,  
Filia Diuini Cultus & alumna Triumphi ,  
Caeleſtumq. ſoror Charitum , & collactea Laudum .  
Quòd ſi forte mei quaeras cunabula partus ,  
Natalisque rudimenti primordia ; dicam .

Cūm domus Isacidum , patriam redditura Syonem ,  
Exilium & rigidam fugeret Pharon ; incidit altos  
In flucus Arabum , rubrique obſtacula ponti .  
Tūm vallo maris immensi fuga ſiſtitur , anceps  
Quò vergat , qua parte ſalutis ſe proxima pandat .  
Scilicet à tergo Pharaonius ardor euntēs  
Inſequitur , iam iamque gradu premit , & fodit hasta .  
At DEVS increpuit ſurdum mare . conſtitit aequor  
Ingenita feritate minus , nutumque Tonantis  
Audijt , & medio freta concita diffidit alueo .

Tanta fides pelagi , & summae reuerentia vocis .  
Ecce bipartito cedentia claustra profundo  
Pontus agit , suspendit iter , per & aera librat  
Hinc atque inde leues gemino velut aggere fluctus ;  
Aequoraque exhaerit , longo quantum orbita sulco  
Pandat aquas Populo , cui terras clauerat hostis .  
Obstipuit primò fugientum exercitus , altum  
Discindi pelagus , barathroque voragini horret  
Ora patere maris , vehit exhaustura morantes .  
Sed nouit mox esse pium , quod credidit atrox :  
Ingressusque viam , qua consca semita ducit ;  
Sicca per aequoreos vestigia signat hiatus  
Securus pelagi atque sui ; valloque liquorum  
Cingitur , & fidas premit immersabilis syndas .  
Interea Pelusiaci furibunda Canopi  
Agmina laxatis ad terga vehuntur habenis ,  
Nacta viam per aperta maris , atque vfa secundo  
Succedunt pelago iamiam domitura phalangas .  
Cum subito implacidum tonuit mare , saeuia rebellat  
Vnda seculaturis , praeceuntibus aequa maniplis .  
Nec mora , discessus redit ad commercia pontus ,  
Foedus habent lymphae , iunctisq. liquoribus impler  
Ora maris patefacta prius . iacet obruta Memphis  
Fluctibus in medijs . quam vellet posse reuerti !  
Sed negat vnda frigam : ruit agmine saeuus aquarum  
Pontus , & a tergo Pharijs redeuntibus instat .  
Diffiliunt currus , miserandoque effeda ludo  
Naufragium in circo faciunt maris : ardor equorum  
Obluctatur aquis ; sed tunditur impetus aestu ,  
Quadrupedesq. equitesq. globo inuoluuntur codem .  
Ipse Paraetonijs Rex agminis ima laborat  
In freta deiectus , sequitur sua curia Regem ,  
Oceano confusa nimis : iam digerit iras  
Aestibus aequoreis : illa se iactat in aula ,  
Sortiturque suo Capitolia digna triumpho .

At

# EPIGRAMMATICA. 211

*At vos hoc anno ne Ver sperate coloni,  
Quandoquidem hyberno tempore Maius obit.*

De pluuia, in Eiusdem obitu.

## EPIGRAMMA LVII.

**C**lartū erat: at, postquā vidit tua funera Caelū;  
Irriguaſ, Maj fundere coepit aquas.  
Credo, vides de te Caelum quid sentiat; & quid  
Sentiat is, ſiccus qui tua fata videt.  
Quisquis is eſt, aut à Caelo diſſentit apertè;  
Aut verè lapis eſt, ſentit & ipſe nibil.

In obitum Ducillae Caſarinae.

## EPIGRAMMA LVIII.

**I**nteriū rigidō crudelis acinace Mortis,  
Quae curſu vitae digna perennis erat.  
Interiū, ſi vera Fides, ſi conſcia recti  
Gratia, ſi Pietas interiūſe potest.  
Non tamen interiūt; Natorum ſpiritus ingens  
Nunc etiam extincio in pectore Matris agit.

Ad Ferdinandum Caſarinum,  
de obitu Matris.

## EPIGRAMMA LVIII.

**F**erdinande, geris nomen dominantibus aptum,  
Imperiū ſolitum ſaepè notare decus.  
Tu quoque nunc tanti mensuram nominis imple,

bA

O 2

Impe-

*Imperium in lacrymas & tibi finge tuum.  
Rex esto ipse tui; Maerorem crede Tyrannum;  
An regnes, rapiat si tua regna Dolor?*

Ad Petrum Caesarium, de Eodein.

EPIGRAMMA LIX.

**P**etre, olim qui te Petrum dixerat Parentes,  
*In genium tuum consuluerem, putas?*  
Nunquam adeo petrae nativo humore liquescunt;  
*Tu lacrymis semper pectora maesta rigas.*  
Parce igitur falsam lacrymando dicere Matrem;  
*Illa tibi Petri nomen habere dedit.*

Ad Io. Baptistam Ferrarium Soc. IESV,  
Syriaci Nomenclatoris Auctorem.

EPIGRAMMA LX.

**O** Quem te memorem, cui condit nomina ferrum,  
*Aurum sed facili diues ab ore fluit!*  
Lingua tibi est, teneris quam saepè loquutus ab annis  
*Fecit linguarum tunc DEVS esse Deam.*  
Desinite ò verbis homines mortalibus vti;  
*Vos docet hic tandem Numinis ore loqui.*  
Ferrari, linguam cordi scis esse gemellam:  
*Si tua lingua DEI est; cor, age, cuius erit?*



Ad

Ad Equitem Iosephum Caesarem Arpi-  
natem, Pictorem eximum. De Poëli  
ab eo picta, & Auctori donata.

## EPIGRAMMA LXI.

**C**aesar maxime Caesarum, quod ultrò  
Donasti tacitam mibi Poësim;  
Picturam tibi redbo, sed loquentem.  
Quanquam nec silet illa, quam dedisti;  
Nec dicit satis ista, quam rependo.  
Spirat altera, largiente vitam  
Ipso te: sed & alteri vigorem.  
Siquem cernis inesse spiritumque;  
Totum nominis est tui, quod illam  
Vsurpatum animat; facitque sensum,  
Quem suus dare non valeret Auctor.  
Ergo, noscere si quis optat altum  
Humani ingenij triumuiratum;  
Arpini petat imminentis arces.  
Hic Caesar, Mariusque, Tulliusque,  
Lingua aequè valet, ense, pennicillo.  
Tantò at, Caesar, utrumque vincis arte;  
Quantò nominis omne antecellis;  
Quod vitam gladio auferebat alter,  
Vita rapta quod alteri, quod unus  
Hanc mutis dare rebus assuesti.

In Tribunum, Ciceronis interfectorem.

## EPIGRAMMA LXII.

**A**uctor perfide, pectus indisertum,  
Arte una feritatis eruditum;  
Tu collo Ciceronis immerenti  
In uitum potes applicare ferrum;  
In quo, scriptor inelegans, tuorum  
Dura schemata criminum figures;  
Hic vitae meliora signa deles,  
Hic linguae premis eloquentis artem,  
Humanaeque apices beatitatis,  
Et mentis bona sensa decoloras.  
Nil notas, nisi te & tuos furores,  
Et de sanguine theta scribis atrum;  
Auctor perfide, pectus indisertum,  
Sic addis Sophiae manum supremam?  
O dextrae scelus improbae sinistrum!  
O styli malus aenei character!  
Vnus denique miles audet omnes  
Vna expungere litterus litura.  
O Tribune, quis audet peritum  
Posthac dicere te latinitatis?  
Fecisti, mihi crede, barbarismum.

Ad Romulum, Lupae alumnū.

## EPIGRAMMA LXIII.

**E**Xcipe, magne Puer, laetentibus obera labris;  
Quae Lupa foecundo praebet amica sinu.  
Est Lupa, sed genium ponit cum lacte lupinum;  
Tu cause, ne mores, quos vomit illa, bibas.  
Quām

XLIV. Ars Vestiaria, ornando Ignatiano Templo oppor-	
tuna, ad Card. Ludouisum.	205
XLV. Ars Phrygiaria, ad Eundem.	205
XLVI. Odoraria, ad Eundem.	206
XLVII. In Pauli V. Pont. Maximi cineres, in Sacellum Exquelinum translatos, ad Beatissimam Virgi-	206
nem.	
XLVIII. Ad Paulum V. Pontificem Maximum. De eius animi castitate, ex Sacello Exquelinio.	207
XLIX. Ad Paulum V. Pontificem Maximum. De Anno-	
nae studio.	208
L. Ad Paulum V. Pontificem Maximum. De eius ani-	
mit tranquillitate.	208
LI. Ad Paulum V. Pontificem Maximum, quod in	
Exquelino Virginis Templo, propè Domini Cu-	
nas sortitus sit tumulus.	208
LII. De Corde Alexandri Cardinalis Ursini, sepulco	
apud cineres Roberti Card. Bellarmini.	209
LIII. De Alexandro Card. Ursino, qui, lethali morbo	
correptus sanguinem sibi flagellis elicuit.	209
LIV. De Christi in Cruce affixi effigie, quam ad pe-	
ctus gestabat Card. Ursinus, dum viueret.	210
LV. De obitu Alexandri Magij, ultima Februarii.	210
LVI. De pluia, in Eiusdem obitu.	211
LVII. In obitum Ducislae Caelarinæ.	211
LVIII. Ad Ferdinandum Caesarinum, de obitu Matris.	
pag.	211
LIX. Ad Petrum Caesarinum, de Eodem.	212
LX. Ad Io. Baptistam Ferrarium Soc. IESV, Syriaci	
Nomenclatoris Auctorem.	212
LXI. Ad Equitem Iosephum Caesarem Arpinatem,	
Pictorem eximium, De Poësi ab eo picta, &	
Auctori donata.	213
LXII. In Tribunum, Ciceronis interfectorem.	214
LXIII. Ad Romulum, Lupae alumnnum.	214
LXIV. De Cycada ad lyram canente.	215
LXV. Tumulus anni morientis.	216

sc̄t̄p̄

Mutius

*Mutius Vitellescūs, Societatis IESV Praepositus Generalis.*

**C**um Poësim P. Vincentij Guinifisi, nostræ Societatis, Tres eiusdem Societatis, quibus id commisimus, recognouerint; ac in lucem edi posse probauerint; facultatem concedimus, ut typis mandentur, si ita Reuerendissimo D. do Vicesgerenti, & Reuerendissimo P. Magistro Sacri Palatij videbitur. In cutus rei fidem has litteras manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus. Romae. 20. Nouembris. 1626.

*Mutius Vitellescūs.*

**I**mprimatur, si videbitur Reuerendissimo P. Magistro Sacri Palatii Apostolici.

*A. Episc. Hieracen. Vicesg.*

**E**go Io. Victorius Roscius Romanus I.C.iussu Reuerendissimi P. Nicolai Rodulfi Sacri Palatii Apostolici Magistri, legi P. Poësim Admodum Reu. Patris Vincentij Guinifisi, in qua non minus, quam olim in eius Orationibus fecerim, admiratus sum hominis ingenium, eruditionem ac pietatem, quamobrem dignam censeo, quae typis quamprimum mandetur, quo sit unde Poëticae artis studioi intelligent, res sacras atque diuinas, omnes poëticos flores ac lepores admittere. Romae. xvi i Kal. Feb. MDCXXVI.

*Io. Victorius Roscius.*

**I**mprimatur.  
Er. Paulus Palumbara, Socius Reuerendissimi P. Fr. Nicolai Rodulfi, Sacri Palatii Apostolici Magistri, Ord. Praed.

**E**

II. Felicitas Drusi Imperatoris, pari omne repetita ,	
rursumque sperata .	147
III. Sanctimonia , Apibus Ambrosio mellificantibus	
explicata.	150
IV. Sapientia, Apibus , Platonis altricibus exaequa-	
ta .	153
V. Eloquentia, Pindarum melle pastum assecuta.	155
VI. Prudentia, cum Hierone Rege ab Apibus enutri-	
to commissa.	158
Cantus Naiadum , ad Illustriss. Card. FRANC.	
BARBERINVM .	
VII. Vrania, Naiadum Prima .	162
VIII Epichtonia, Naiadum Secunda.	164
IX. Melissea, Naiadum Tertia.	165
X. Thalassia, Naiadum ultima.	167
XI. Vaticinium De Templo S. Ignatij Loyolae, Ro-	
mae fu dato .	169
XII. Amoibaens, Sereniss. Leopoldo Austriaco.	174
XIII. Paraenesis Ad Laelium Guinisiū, Frarris filiū.	176
XIV. Iambus Purus, Romae gratulatio de R.P. Mutio	
Vitellesco Praeposito Gen Soc.IESV creato.	180
XV. Charites, Ad Serenissimum Principem Mauri-	
tium Card. Sabaudiae.	183
XVI. Hendecasyllabus , Ad Cupressum Equitis Vi-	
ctorij.	184
XVII. Acclamatio, De Primo & Primiano Vrsinis fra-	
tribus.	185

## POESIS EPIGRAMMÁTICA .

PIGR. I. Anni dies natalis.	187
II. Ad Puerum I E S V M .	187
III, Ad Simeonem, Puerum IESVM gestantem.	188
IV. De Magis, ad CHRISTVM Puerum profectis.	188
V. Vnus ex Magis, qui aurum offert.	188
VI. Ad Sanctos Innocentes.	189
VII. De Stella Magorum .	189
VIII. De niuibus ante perugilium Natalis Domini ca-	
dentibus.	189
IX. Ver, ad IESVM corona spinea praecinctum.	190
X. De viola in CHRISTI Domini paenis florēte.	190
XI. De eodem argumento.	190
XII. De lacrymis Magdalene ad pedes IESV.	191
XIII. Ad Magdalenam, corpus IESV quaerentem	
XIV. De	191

XIV. De S. Prisca Leonibus obiecta.	191
XV. De S. Calliope Martyre,	192
XVI. Ad S. Catharinam Senensem,	193
XVII. Ad S. Caeciliam, Euangeliorum librum in finu ferentem.	193
XVIII. De S. Margarita, Scotiae Regina .	194
XIX. De S. Bassilio.	194
XX. Ad S. Symphorianum .	194
XXI. Ad S. Simeonem Stylitam.	195
XXII. SS. Iusti & Paltoris è ludo litterario ad mortem pro CHRISTO abeunium voces.	195
XXIII. Ad S. Vincentium Martyrem.	196
XXIV. Sancta Felicitas hortatur Filios , vt mortem pro CHRISTO generosè subeant.	197
XXV. De S. Ignatio Loyola, cuius in sepulcro vīla sunt fidera .	197
XXVI. Ad Eundem, astrorum aspectu fruentem .	197
XXVII. Ad Eundem, aspectu fiderū lacrymantēm.	198
XXVIII. De S. Francisco Xauerio Soc. IESV: cuius extincti de latere sanguis & aqua prodijt .	198
XXIX. De Eodem , super funem anchorarium in nau quiescente.	199
XXX. De B. Aloysii Innocentia .	199
XXXI. De Sacro Ieiunio .	199
XXXII. De eodem.	200
XXXIII. De eodem.	200
XXXIV. De eodem .	200
XXXV. De Sacro Cinere.	201
XXXVI. In Personatos.	201
XXXVII. In Funambulum .	201
XXXVIII. Ad Gregorium XV. Pontificem Max. De primo in Capitolium ingressu.	202
XXXIX. De Card. Ludouisio creato.	203
XL. De Trunco Mineruae, reperto in exstriaunda Tem pli area, quod S. Ignatio Loyolae erigit Illustris simus Card. Ludouisius.	203
XLI. De Capite humano , inter eiusdem Templi fun damenta inuento.	204
XLII. De Riuo perennis aquae, reperto iaciendis eius dem Templi fundamentis.	204
XLIII. De Card. Ludouisio , primum Ignatiani Templi lapidem iacente .	205
XLIV. Ars	

Quām vereor, subitō lac iſtud acescat; & vni  
Quod tibi dat vitam, pluribus eripiat.

## De Cicada ad lyram canente.

## EPIGRAMMA LXIV.

**P**ulsabat digitis lyram Lyristes:  
Cūm fides, male paſſa verberantem;  
Neruo diſſiliente diſsecatur.  
At Cicadula, mens canora ſiluae,  
Aeſtatis Melopoea garrientis,  
Iacturam fidis ambitu fideli,  
Et dulcis vice vocis implet ultrō.  
Nam, Lyram ſuperinſidens diſertam,  
Pro caſſa fide ſufficit, locatque  
Vocem dulciloquae neceſſitati:  
Sic ſe temperat ad canentis uſum,  
Ut quidquid digitis Lyristes urget;  
Illud ore Cicada prosequatur.  
Miraris, vice chordutae Cicadam  
Totum prouehere & iuuare cantum?  
Tanto verius id mihi probatur;  
Quantum voce propinquā chorda cordi eſt.  
Ergo deſine fabulam putare;  
Hanc, quae tota cor eſſet, eſſe chordam.  
Immo, quō magē ſit gemella chordae;  
Cui vicaria iam fuit canendo,  
Huic vicaria fit ſimul cadendo:  
Par fato, velut ore; nam, repente  
Ruptis fauicibus, in lyram recumbit:  
In felix, niſi fortiatur uerna,  
Qua carent, ſea & inuaent olores.

Tumu-

Tumulus anni morientis.

EPIGRAMMA LXV.

**H**ic iaceo, rigidae prostratus vulnere Mortis,  
Dum mihi, quam reliquis augeo, vita perit.  
Viuendi merces, moriendi debita traxit:  
Et quae vitae alijs, est mihi causa necis.  
Nemp̄ DEV M vidi; Vitam vidiſſe iacentem  
Arguor, & lucis crimina nocte luo.  
Hac tamen ingentem solabor sorte dolorem,  
Non poteram fato splendidiore mori.  
Nam quibus in Cunis oritur DEV S, occidit Annus;  
Sic Domini thalamum sortior in tumulum.  
Vita nec amisit, melius sed transfluit usum;  
Dulce mihi, heredem lucis habere DEV M.

F I N I S.

Errata sic corrige.

Pag.	Lin.	Errata.	Correctio.
32	in titulo dictum,	dictus.	
44	10	tundere,	fundere.
46	17	Dux erat,	duxerat.
65	31	oculis,	animo.
66	21	Elisabae,	Elisabes.
109	3	scatebroſo,	ſalebroſo.
129	21	omnia,	omina.
190	32	naſcenti,	naſcendi.



251

Tumulus anni morientis.

EPIGRAMMA LXV.

**H**ic iaceo, rigidae prostratus vulnere Mortis,  
Dum mihi, quam reliquis augeo, vita perit.  
Viuendi merces, moriendi debita traxit:  
Et quae vitae alijs, est mihi causa necis.  
Nempè DEV M vidi; Vitam vidiisse iacentem  
Arguor, & lucis crimina nocte luo.  
Hac tamen ingentem solabor sorte dolorem,  
Non poteram fato splendidiore mori.  
Nam quibus in Cunis oritur DEV S, occi:  
Sic Domini thalamum sutioni:  
Vita nec amisit, melius se  
Dulce mihi, heredem lu

F I N

Errata sic

Pag. Lin. Errata.

- 32 in titulo dictum,  
44 10 tundere,  
46 17 Dux erat,  
65 31 oculis,  
66 21 Elisabae,  
109 3 scatebroso,  
129 21 omnia,  
190 32 nascenti,

2 11858060



285

